



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Dispvatio XXIX. Argumenta Antonij de Charlas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

litate, aut probabilioritate, aut certitudine moralis, vel declarando eas non nisi per errorem fuisse Patronis suis probabiles, probabiliores, aut moraliter certas. Idem dico de prudentiâ; opinio enim prudens, stante prudentiâ, non est damnabilis; damnabilis autem est, sublatâ prudentiâ; vel si definiatur, quod non nisi per errorem ea opinio putata fuerit prudens, aut prudentior.

N.
106.

Ad 3. dico, quod sicut laxitas non oritur à Probabilioristarum, aut Certitudinistarum sententiâ, etsi aliqui eorum aliquam opinionem laxam iudicarent sibi probabilior, aut moraliter certam; ita nec à nostrâ,

etsi aliqui aliquam opinionem laxam iudicarent sibi certo probabilem. In formâ dico, quod dum affirmo licitum sequi omnem mihi certo probabilem, nec affirmo, quod omnis, quæ à DD. asseritur probabilis, sit mihi certo probabilis; nec affirmo, quod omnis, quæ putatur certo probabilis sit mihi certo talis. Etsi enim regulariter verum sit, quod omnis opinio, quæ à gravissimis DD. inter se oppositis iudicatur certo probabilis, sit certo talis; non tamen omnis opinio, quæ historicè refertur, (seu cupa probabilitas, vel non fideliter refertur, vel ut non certo probabilis asseritur à gravissimis DD.) est talis.

DISPUTATIO XXIX.

Argumenta Antonij de Charlas.

SECTIO I.

Quid in Probabilistis supponat? Quid à Pontificibus petat? Quid à Theologis exigit?

SUMMARIUM.

Supponit nos docere, id unice vitandum, quod est certo peccatum, n. 1.

Dico vitandum quoque quod probabiliter iudico esse peccatum, ibid.

Petit à Pontificibus regulas pro opinionum deletioni, n. 2.

Dico petere, quod Ecclesia habet, ibid.

Petit hos, ut laxitas tollatur, n. 3.

Ostendo easdem laxitates futuras, etsi Papa obligaret, ne quis sequeretur minus tutam, nisi foret moraliter certa, ibid. & n. 4.

Etsi posito errore invincibili detur lex operandi juxta illum, non tamen datur lex obligans errare invincibiliter, n. 5.

Cur Pontifices nullam sententiam generalem de licito, aut illicito usu damnarunt, sed solas opiniones particulares? n. 6.

Eorum summa prudentia, ibid.

Ait tradi non posse regulam generalem pro diligentia ad veri inventionem necessariâ, n. 7.

Resicio media, quæ assignat, à n. 8. ad 11.

Anti-Probabilistæ faciles in injurias aliorum, & in sui laudem, n. 10.

Christus D. & omnes TT. negant ea media esse necessaria, n. 11.

Oratio quando fit pro vero necessaria, ibid.



N alter Certitudinista Modernus, N. 1. nus, qui omnes suas vires in Ann. Probabilissimum exierit. Si in la- M. 1. xum Probabilissimum, laudat- con- rem illum, nam nos quoque hunc damnavimus, eumque, & non alium, (etsi forte aliquis contrarium suspicari posset) impugnat M. Lucionius in sua Venetæ Morali, ut sæpe fuitur cap. 1. & 2. n. 5. & cap. 4. n. 8. Supponit autem Antonius in sua Prefatione ad Disp. Theolog. de opinionum deletioni, Probabilitas docere, id tantum vitandum esse, quod est certo, non autem probabiliter, aut probabilius malum. At ejus pace, nisi simultatem probabilis, quam tuemur, cum probabilitate simultatis omnino chimericâ confundat, dicimus, vitandum quoque, quod iudicatur probabiliter malum. Dum ergo dicimus non esse vitandum, quod est probabiliter malum, loquimur de objectivâ, non de formali probabilitate; nempe quod si addit motivum, ob quod judicare possum magis, aut minus probabiliter malum, non tamen ita iudico, quin magis, aut minus certo probabiliter iudico, non esse malum, non est vitandum; ergo ea propositio, id tantum vitandum, quod est certo, non autem magis, aut minus probabiliter malum, si sermo sit de objectivâ probabilitate, est certo vera; si de formali, est certo falsa, quia ne peccem, necessaria semper est bona fides non peccati. Porro ea propositio est SS. Patrum, & Antiquorum moralium una vox est nil esse peccatum mortale, nisi

nisi sit expresse contra Scripturam, & Ecclesiam, legem, aut rationem convincentem. Vide *disp. 10. sect. 4. & 6. & disp. 11. sect. 1.*

- N. 2. *Petit. c. à Pontificibus, ut regulas generales dent, quibus in opinionum delectu nit possimus. At hoc est supponere in Dei Ecclesia, ejusque Vicariis non modicum defectum, quasi verò Ecclesia his regulis destituta fuerit, & elapsi Pontifices parum providi; quin sibi opponitur, dum alibi dicit, suam regulam in Ecclesia floruisse. Profecto Fidelium conditio plus minus eadem fuit; plura illis certa, plura incerta; & in incertis valida inter eos oppositio. Vel ergo Ecclesia caruit regulâ generali pro incertarum opinionum delectu, vel non? Si caruit, & quidem sine Ecclesie detrimento, carere & nos possumus, & sine illâ regulâ salvari, ut antiqui Fideles. Si non caruit, petitio est superflua, nam petit à Papâ, quod Ecclesia habet. Quare ut omnino certum tenendum est, quod omni tempore regula pro opinionum delectu in Ecclesia fuerit, eum non omnia moralia fuerint Antiquis certa. Si ergo Deus, ejusque Vicarii providere non adeo universales, nec cuique necessarias Ecclesie regulas, ex. gr. pro discernendo omni verò à falso miraculo, omni certâ à fictâ extasi, & visione; si regulas pro quocumque hominum statu, quibus ad sanctitatis apicem perveniant, multò magis providerunt regulam pro opinionum delectu cuique docto, aut idiotæ necessariam, & tam universalem, quæ per totam moralem Theologiam vagetur, cujus magna pars est sub oppositis opinionibus.*

- N. 3. Confirmo ponderando causam, ob quam Antonius hoc votum conceperit; ea autem est, ut omnis laxitas ab Ecclesia tolleretur; hoc enim est malum, ob quod tollendum regulam generalem petit, quasi verò illud oriretur ex defectu regulæ, non autem ex malâ regulæ applicatione; ego non video nisi has dari posse. Prima, ne quis sequatur minus tutam minus probabilem. Secunda, ne quis sequatur minus tutam, etsi sit probabilior. Tertia, ne quis eam sequatur, nisi sit moraliter certa. Videndum modò, an per hoc, quod Papa dictas regulas traderet, tollerentur ab Ecclesia laxitates. Venio ad primam, & do vetari à Papâ usum minus tutæ minus probabilis. Ecce adhuc vetito ejus usu, eadem in Ecclesia laxitates, & falsitates; etenim Probabiliorista, & Certitudinista poterunt eandem opinionem tueri, ut sibi probabilior, aut moraliter certam, ut constet in damnatis, quarum quælibet fuit suo Autho-

ri probabilior, aut moraliter certa: ergo adhuc vetito usu minus tutæ minus probabilis eadem in Ecclesia laxitates, & falsitates. Quin ejus usu vetito, eadem laxitates manent, & fiunt in Ecclesia Dei necessariae, ex eo quia ea opinio, ex quâ error, & laxitas oritur, est suo Patrono probabilior, aut moraliter certa, eique vetatur, ne sequatur oppositam minus tutam, eique minus probabilem, ex quâ nullâ laxitas.

Idem dico de secunda; vetetur enim minus tuta probabilior. Ecce poterit quis eandem opinionem, ex quâ oritur laxitas, tueri ut moraliter certam: ergo per regulam vetantem usum minus tutæ probabilioris nulla tollitur laxitas, & error. Idem de tertiâ concedente solam moraliter certam ex minus tutis licere. En ex eadem scandalosâ opinione putatâ moraliter certâ idem scandalum: ergo per concessionem solius minus tutæ moraliter certæ nulla à Dei Ecclesia laxitas remouetur. Vid. *disp. 15.* per totam, ubi ostendi, quod laxitates per dictas regulas fiant inemendabiles, & earum opinionum Patroni non nisi à Papâ corrigibiles.

Dices: Etsi ductus errore invincibili obligetur sæpe malè materialiter operari, non inde fit, quod non detur lex de eo sequendo: ergo etsi ex moraliter certâ sequatur opus materialiter malum, non inde fit, quod non detur lex de eâ sequendâ. Sed contra disparitas, & retortio est evidens. Ut enim nulla datur lex obligans invincibiliter errare, etsi supposito eo errore detur lex operandi juxta illud, ita nulla dari potest lex obligans, ut operemur juxta minus tutam moraliter certam, etsi hæc suppositâ liberum sit juxta illam operari. Quare ego non necessario opinantem, ut materialiter erret, & peccet; sed permitto, quin dico sæpe melius operaturum, si, depositâ propriâ sibi probabiliori, conformet se alienæ sibi minus probabili. At Certitudinistæ, & Probabilioristæ obligantes ex minus tutis ad solam probabilior, aut moraliter certam, necessitant sæpe scandalosè materialiter opinari, & operari; illudque utrumquè malum fit illis per dictas leges irremediabile.

Hinc Pontifices prævidentes, quod per dictas regulas homo obligaretur errare; nam plures tutiores suis Patronis probabiliores, aut moraliter certæ, ut patet in Baii, & Jansenii damnatis, damnatæ fuere ut hæreticæ. Rursus plures minus tutæ, suis Patronis probabiliores, aut moraliter certæ, damnatæ fuere ut scandalosæ; nullatenus ob dictâ incommoda eam regulam tulerunt, sed sanctè permittunt, ut quis minus tutam, certò

tamen

tamen absolute, & relative probabilem sequatur, unice contenti damnare opiniones particulares; in his enim, siue sint strictae, siue laxae, est falsitas, & malitia sub veritatis & licentiae larva, abstinendo damnare generale morum principium inter T.T. commune. Si Antonius peteret damnari aliquas particulares habitas ut probabiles, probabiliores, aut moraliter certas, peteret, quod Ecclesie confert, & quod anteriores Papae executi sunt. At petere, ut aliquam generalem pro opinionum delectu regulam dent, est petere, quod Ecclesia Dei semper habuit, nempe certam apud Patronos, & Adversarios probabilitatem, quoties veritas serio examinata manet incerta. Quin si petat pro regula ut Papa obliget semper ad probabiliorem, clamabunt Tutiorista obligantes ad tutiorem minus probabilem; si ut obliget ad tutiorem, clamabunt Probabiliorista, quin petet, ut Pontifices saepe obligent ad falsum, ad malum, & ad indocilitatem, cum nulla sit damnata, quae juxta Adversariorum effatum non fuerit suo Patrono probabilior. Nil ergo in Ecclesia circa regulas desiderandum, sed in T.T. ut particularium opinionum veritatem, & probabilitatem ponderent, & ne improbables habeant ut probabiles, aut probabiliores, aut moraliter sibi certas.

N. 7. Exigit à Theologis *cap. 1.* ut ante oculos legem Dei habeant, quae est prima, & vera morum regula, nec eam tam parvi faciant, ut omnem ei vim tollere videantur: & *cap. 2.* ait, sequendam Dei legem, dum pavetis, quarendam, dum latet: & quamvis generalis regula pro quantitate diligentiae, ut lex Dei inveniatur, omni casui apta tradi non possit, Deus exorandus pro veri inventione, ut Scriptura, & PP. monent. Subdit se satis mirari non posse, quod DD. aliqui negent necessariam orationem, ubi malitia est dubia, nisi in raris casibus, & exclamat: *Deus bone! quod genus Theologia?* Vt autem oratio mereatur audiri, studendum, ut animus ab omni passione liber sit; ut summâ prudentiâ utamur in eligendis consiliariis doctis, piis, & veritatem amantibus, & ne Pastorum, & Doctorum consiliis ceco more, repugnantem conscientiam, stemus. Quod si post orationem, & studium veritas non pateat, sequendum tunc ex lege naturali, & Canonica tutius.

N. 8. Sed contra 1. quia si legem Dei incertam transferre ad rationem humanam est eam parvifacere, omnis Certitudinista, & Probabiliorista negantes sequendam tutiorem, cum minus tuta est moraliter certa, legem Dei parvificet. Quin cum Antonius recte

cum S. Thom. 1. 2. *qu. 57. art. 5. ad 3.* doceat, quod verum intellectus practici sumatur à conformitate cum appetitu recto, verum autem intellectus speculativi à conformitate cum re; quomodo deinde vult, quod Dei lex, ut est in re, non ut est sub ratione humana, sit regula? Si ergo Dei lex ut subest rationi nostrae est regula; quomodo queritur, quod legem Dei ad rationem humanam transferamus?

Contra 2. quia sicut antea rogabat Pontius, fides, ut pro opinionum delectu generalem darent regulam, cur non rogat, ut similem dent pro quantitate diligentiae ad veri inventionem necessariam? Sanè necessaria prius est veritatis diligentia, ut opinio eligi possit, ergo ejus regula prius tradenda est, quam tamen Antonius tradi posse negat; vel si hoc nec potest, nec tradi debet, nec illa. Immo sicut judicium piorum, & doctorum est regula pro quantitate diligentiae pro veri inventionem, ita erit pro opinione hic, & tunc eligenda.

Contra 3. praeter à me dicta *disp. 15. scilicet. N. 7. §. 2.* quero, an media, quae, quoties de actu nis malitia dubitatur, assignat pro veri inventionem, nempe oratio, animus omni cupiditate vacuus, summa in consiliariis eligendis prudentia, sint simpliciter necessaria? Si non sunt, cur agere fert, quod aliqui ea negent, cum tamen aliqui non sint, sed plerique T.T. qui ea omnia media pro omni casu dubio simpliciter necessaria esse negant, quin saepe impossibilia, dum casus urget. Cur voce lugubri intonat, Bone Deus! quod genus Theologiae? Si sunt, rogabo, ut mihi viros iis dotibus florentes in tanta copia det, quot in Ecclesia Dei pro omnium Fidelium salute necessarij sunt. Rogabo, an vin adeo docti, & ab omni passione liberi inter solos Anti-Probabilistas reperiantur. Si inter illos solos, ridebo animosam falsitatem. Si etiam inter Probabilistas, cur eos passim mordet? Hoc sanè indefessis Adversariorum lectione didici, plures esse in injurias faciles, plures se ipsis contentos, se, & sua celebrare, & aliena despiciere; nos omnis laxitatis, & sceleris Authores, quae an sint pacati animi, omni terrenâ cupiditate immunis, indicia, alij putarent. Legatur Antonius, qui in sua praefatione dicit, se non nisi certa affirmaturum, se rationes suo judicio convincentes allaturum; & *cap. 2.* se regulam. In dubijs tractaturum diligentissime animo falsis praesudicii, & terrenis cupiditatibus libero. Bone Deus! (exclamare libet) quod genus Christianae humilitatis?

Contra 4. quia quod ea media non sint pro omni

omnis veri incerti inventione necessaria, non tantum plerique T.T. hoc docent, sed Christus D. qui turbis præcipit, ut omnia fervent, & faciant, quæ improbi Scribæ, & Pharisei dixerint, ne tamen eorum opera imitentur. En veritatis Magister veritatem à probitate segregat. En ut veritas tradatur, & ab idiotis sciatur, nec oratio, nec morum innocentia in Doctore necessaria. En Doctores in Cathedrâ Moyfi sedentibus, in omni materiâ fidei, & morum, turbis standum erat, nam expressè ait, *Omnia, quæ dixerint, servate, & facite*. En quò tandem sub probitatis specie Antonius nos ducat, ut repugnante conscientia, in re incertâ, ne quidem Pastorum consiliis subditi, & idiotæ parère debeant, & vix erit inter T.T. cui standum; inter Confessarios, cui confitendum; inter consiliarios, cui acquiescendum, si illi non sint orationis viri, nec habeant animum à passionibus immunem. Peccabit ergo omnis Theologus, Confessor, Pastor, Superior, qui consulat, doceat, jubeat, confessiones excipiat, si virtutum exercitio apprimè cultus non sit, quia absque earum exercitio, juxta Antonium, veritatem assequi nequit: peccabit quoque, qui illis stat, quia stat insipientibus, & viris virtutum exercitio destitutis. Cum ergo hoc dici nequeat, non est quòd Antonius clamet còtra Theologiam, quæ negat esse simpliciter necessariam pro veri incerti inventione orationem, & interiorum passionum mortificationem; hæc enim est tantum necessaria in casibus, vel quasi ex toto nobis ignotis, vel valdè perplexis, & difficilis in utramque partem resolutionis; etsi enim passionibus aliquando eludant veritatem, non tamen semper, cum consistet Ethnicos, qui verum Deum non orant, & in vitia proni sunt, plura vera cognoscere. Cum ergo Scriptura, & PP. hortantur nos, ut à Deo sapientiam petamus, non inde infertur, nisi res sit valdè perplexa, quòd specialis oratio necessaria sit pro omnis veri incerti inventione, sed quòd à Deo petenda sit sapientia, eo modo quo alia bona, per quam à nobis gesta, & gerenda cognoscamus. Concludo rogando Antonium, an T.T. Probabilistæ, sive sint Magistri, sive Superiores, sive Confessores, Scribæ, & Phariseis peiores sint? Si sunt, horrendum dicit: si non sunt; ergo juxta Christi D. effatum illis quoque standum.

Tom. III.

SECTIO II.

Antonij mens.

§. I.

Quàm inanis paritas.

SUMMARIUM.

Ait quòd sicut homo ab homine exigere videtur, ut abstineat à violatione legis probabilis cognita; ita longe magis Deus ab homine, n. 12.
Negat Probabilistas inter Dei servos numerandos, ibid.
Dei Leges non sunt modo humano metiende, n. 13. 14.
Deus intentionem, homines opus intendunt, ibid.
Ne quidem in humanis homo tenetur ad melius, ibid.
Ait hæcenus fuisse certum, quòd sola carentia omnis cognitionis excuset; modo Probabilistas velle, quòd invincibiliter ignorentur, quæ probabilis sciri possunt, n. 15.
Ostendo plures tutiores damnatas ut falsas, quin ut peccata formalia contra veritatem, n. 16.
S. Thom. pro invincibilis ignorantia exemplo tradit hanc, Numquam licet jurare, ibid.
Inductio plurimum, quæ negatur à Probabilistis, quæ Adversarij supponunt ab illis admitti, ibid.
Datur lex, tum voluntatem, tum intellectum obligans, n. 17.
Omnis tutior, si falsa sit, est contra veritatem; & qui ad illam, si minus probabilis sit, obligat, obligat peccare materialiter, & formaliter contra legem veritatis, si tenet argumentum, ibid.
Quàm nulla argumenta sumpta ex periculo, vel errandi materialiter, vel peccandi materialiter, à n. 18. ad 21.
Omnis certò probabilis est aequè tuta à peccato formali, n. 20.
Paritas Henrici IV. quid probet? ibid.
Quàm certa nostra sententia, cum argumenta ex veri violatione à Tutioristis, ex violatione boni à Probabilioristis solvenda sint, n. 21. 22.
Dammandus à SS. PP. fuisse Probabilismus, si esset illicitus: cum magis solliciti sint negare illicita, quam approbare licita, n. 23.
Adversarij adversantur Tridentino danti pro coercendâ ingenij petulantia tamquam remedium, ne quis sua fidat prudentie, ibid.
Ex hoc ipso quòd plures tutiores, & probabiliores damnata, infertur nullam de illis dari legem, n. 24.
Pontificum decisiones sunt contra Antonium, n. 25.
Etiam Certitudinismus, & Probabiliorismus erit damnatus, n. 26.

Nn

Est

N.
12.
De
Charl.

E T si omnia saepe solverim, selectiora de-
libo. Arguit 1. *cap. 4. 5. & 6.* quia dele-
ctus minus tutae minus probabilis est contra
generales moru regulas, & quidquid *le. trahit*
ad hunc syllogismum reducit. Quod a no-
bis subjectis jure deberi credimus, hoc legi
Dei debetur, sed cum probabilius est man-
datum aliqua actione violandum, a nobis
subjectis jure deberi credimus, ut ab ea ab-
stineant: ergo cum probabilius est legem
actione nostra violandam, ab ea abstinendum.
Maior est talis, inquit, ut qui eam ne-
garet, dignus non esset, qui inter Dei ser-
vos numeraretur. Minorem probat paritate
Filii, Servi, Amici, immo Gentilium, apud
quos nefas est utilitatem propriam idolorum
mandatis praefere: Probabilis autem, ait,
legem Dei minus aestimant, quam potum.

N.
13.
De
Charl.

Non immoror in injurijs, quae animi a
passione occupatum produunt, & tamen au-
diri vult, ut Theologus a passione immu-
nis. Tantum audet, ut se plerumque exalter,
Probabilitas vero nec inter Dei servos ha-
bendos velit. Saepe dixi Deum humano pe-
de, seu paritatibus humanis metiendum non
esse; alias ut domini temporales invincibili-
ter theologice errant, si juridice erret,
plectunt, nec ejus intentionem attendunt;
ita quoque Deus; cum tamen de fide sit,
quod error invincibilis a peccato apud Deum
excuset. Rursus sicut Principes praemian-
tur saepe Ducem ob victoriam casu, & im-
prudenter obtentam, eumque puniunt ob
pugnam prudenter oblatam, infelicem ta-
men ita & Deus praemiabitur, qui impru-
denter in re bonum operatur, & punit qui
prudenter malum in re, quod tamen est fal-
sum. Si diverfa Dei, & hominum conditio
perpenderetur, quod Deus intentionem pra-
e opere operantis attendit; homines vero at-
tendunt opus, ut est in re, non ut est sub
operantis intentione, nil objiceretur. Cum
ergo homines opus, ut est in re, attendant,
ideo maiorem diligentiam exigunt, ut asse-
quantur utilitatem, quam praetendunt, quae
ab opere, ut est in re, pendet; & saepe ne
quidem summa diligentia pro ejus consecu-
tione sufficit. At Dei servitium, & gloria, &
nostra aeterna salus non pendet ab opere,
ut est in re, sed ut est sub intentione operan-
tis, quae si sit prudenter concepta, satis Deo
est. Quare dum ait inter Dei servos habendum
non esse, qui negat nos non debere Deo
tantum, quantum servi dominis; dico, quod
longe plus ob infinitos titulos Deo debe-
mus, adeo ut omni hominum mandato certa
Dei lex, si illud huic opponitur, prevalere
debeat. Ex hoc tamen non inferitur, quod

si, ut homini paream, teneor ad tutius, &
probabilius, ita quoque ut Deo. Vel enim
homo ad ea tenetur, ut homini pareat, vel
non? Si non tenetur, nulla est paritas: si te-
netur, est, quia supponitur ut certa ex uni-
versali hominum sensu lex obligans homi-
nem ad tutius, & probabilius, ut homini
pareat; nulla autem talis lex Dei constat,
quin prudentissime a plurimis negatur. Ad-
do quod ne quidem ea lex humana in ple-
risque casibus adsit; non enim subditi, ser-
vi, milites tenentur semper in omni casu
ad tutius, & melius, alias vigilandum semper
illis esset, ne hostis, aut fur accederet. Do-
mum ratio dictae legis humanae, cum adsit,
est, ut dixi, quia intentio nec acculat, nec
excusat hominem apud hominem, cum si-
nis hominis sit opus, ut est in re: contra
opus non ut est in re, sed ut est sub iudicio
prudenter, aut imprudenter, est, quod apud
Deum excusat, aut acculat.

In forma distinguo maiorem: quod a no-
bis subjectis jure deberi credimus, hoc legi
Dei debetur, si utraque lex Dei, & hominis
sit aequae certa, concedo; si non sit, nego
maiorem, & distinguo minorem: quoties
probabilius est hominis legem aliqua actione
violandam, jure deberi credimus ab ea
actione abstinendum; & hoc, quia lex refe-
ra hominis ad hominem supponitur ut cer-
ta; & quia res ipsa, ut est in re, petit, ut bo-
num, ut est in re, obtineri possit, concedo;
aliter, nego minorem, & consequentiam.
Vid. disp. 13. per totam.

Arguit 2. quia eligens minus tutam mi-
nus probabilem, eligit quod probabilius est;
malum, & falsum; & idem materiale ma-
lum, quia cognoscitur, & eligitur, ait *cap. 6.*
fit peccatum formale; ergo formaliter pec-
cat. Addit fuisse semper haecenus certum,
quod sola invincibilis ignorantia, seu caren-
tia omnis cognitionis excuset a culpa; Pro-
babilitas autem modo volunt, ignorari in-
vincibiliter, quae probabilis sciri possunt,
dummodo certo sciri non possint. Hinc est,
quod quia non animadvertum fuit, aliqui
pii, & docti abrepti sunt ad sequendum Pro-
babilitatem opinionem, quam alias pro
sua pietate, & sapientia respiciunt, si cum
mente praedictis non occupata examina-
sent. *Unam Spiritus veritatis doceat nos om-
nem veritatem. Lex autem Domini veritas.*
Haec de Charlas.

En iterum de Probabilitate, quod suum N.
sententiam non examinarint mente non pre-
judicata. En suo Libro speciosum lemma de
praeiudicium, *Viam veritatis elegi, iudicia tua non*
sum oblitus. Negavi saepe, quod tutior a pec-
cato

cato materiali fit tutior à formali, cum plures tutiores damnatae sint, ut certò falsa, immò haeretica, ex. gr. hæc, *Numquam licet s. Tho. juramentum*, quam S. Thom. quodlibet. 3. qu. 12. art. 26. trahit in exemplum conscientiae invincibiliter erroneae: ergo non omnes tutiores sunt liberè à peccato formali contra veritatis legem, quin si doceantur ut obligatoria, nec liberè sunt à peccato formali contra alias leges. Negavi quòd eligens minus tutam minus probabilem eligat, quod probabilis putat malum, & falsum, immò eo iudicio caret. Negavi, quòd probabilioritas sit via veritatis logicae, alias utraque contradictoria erit vera, quia qualibet est suo Auctori probabilior; immò ostendi ex probabilioribus tot esse logicè veras, quot falsas. Negavi, quòd sequens minus tutam peccet formaliter, cum omnis certò probabilis sit aequè tuta à peccato formali. Negavi, quòd sequens minus probabilem, sequatur eam, ut falsam, quin ut logicè veram, adeoque omnis Probabilista dicere poterit, *Viam veritatis elegi*. Negavi ad peccatum formale factis esse, ut iudicari probabilius possit, rem esse in se malam, sed necesse ne certò prudens de non malitia rei iudicium adsit, quo stante, dubia malitia materialis non transit in formalem. Negavi, quòd sequens probabilior, etsi penes se verior putet, sequatur logicè verior, cum quolibet probabilior sit aequè indifferens, ut in re sit falsa, ac vera, cum tot ex illis sint in re falsae, quot verae. Ostendi cuique certò probabili inesse invincibilem veri ignorantiam, quin si ea minus probabili non inest, nec inest probabiliori, quia habet contra se motiva, ob quae prudenter iudicari potest non esse vera; immò nec moraliter certè iuxta trivialem certitudinem, quam Certitudinistae dant cuique opinioni particulari, tot enim ex illis sunt logicè verae, quot falsae: ergo prudenter formidare reflexe potest, an hæc sit logicè vera: si ergo probabilior, & moraliter certa licet, etsi ejus logica veritas sit dubia; ita & minus probabilis. Ostendi invincibilem ignorantiam legis non tolli per iudicium probabilis, sed per moraliter certum de lege. Nec Antonius dicere potest, Probabilistas esse similes caeco nolenti declinare foveam, nisi sit certus de illa, quasi verò ut iudicium tollit peccatum, ita & oculi foveam, & corporis oculi idem essent ac mentis oculi. Quin paritas probat, quòd sicut, etsi caecus foret certus non adesse foveam, si re adsit, cadet in illam; ita, qui certus est de non peccato, si res sit in se mala, peccabit.

Tom. III.

Notandum accuratè equivocum. Leges aliae sunt, quae ad intellectum, aliae quae ad voluntatem spectant; illae obligant, ne imprudenter opinetur, istae, ne malè operetur. Hoc supposito, dico, quòd opinio obligans statim conteri post mortale, est quidem certò tuta, adeo ut nec materialiter peccare possit contra dictam legem, si datur, qui statim conteritur: attamen non est tuta de errore materiali, & formali contra legem intellectus obligantem, ne quis certò falsum opinetur, sed est certò falsum, quòd datur lex conterendi post mortale: ergo obligans ad tutiorem non probabilem, supponendo ex errore culpabili eam legem dari, etsi non peccet contra legem voluntatis stantem pro contritione, peccat tamen contra legem intellectus obligantem, ne homo culpabiliter erret iudicando dari legem conterendi, quae certò non datur; aut juxta Probabilioritatem obligando, ut asserat legem, quae minus probabiliter datur; ergo obligans ad tutiorem minus aut non probabilem, obligat peccare contra legem intellectus.

Arguit 3. cap. 7. quòd eligens minus tutam minus probabilem eligat viam, quae probabilius avertit ab ultimo fine. Adducit Henricum IV. qui hoc argumento à Calvinismo ad Catholicismum reductus est. Ex communi Catholicorum, & Calvinistarum sententià in Religione Catholica salvari possum; non ita in Calvinistica ex sententià Catholicorum: ergo Catholica est preferenda. Subdit falsum esse, quòd probabiliter operans prudenter operetur; & quòd probabilitas tollat peccati malitiam; neutra enim est, vel naturaliter evidens, vel supernaturaliter certa, quin à Probabilioritatis negatur; ergo est incerta.

Dixi argumenta ex periculo violandi materialiter legem, & ex prudentià dictante sequendam verior, esse nulla. Si enim ob periculum peccati materialis minus tuta non licet, non licebit ob idem periculum minus tuta probabilior, aut moraliter certa: ergo semper sequenda erit tutior, etsi non probabilis. Rursus si ob periculum erroris sequenda est verior, non licebit tutior minus probabilis, sed sequenda semper erit probabilior minus tuta. Dixi quoque, quòd si haec propositiones non sunt certae, (Certò probabiliter agens prudenter agit: Certa probabilitas tollit formalem peccati malitiam) quia utraque ab Anti-Probabilistis negatur, neque istae erunt certae, (Sequens tutius, aut probabilius ex obligatione, prudenter agit) quia ea obligatio sequendi tutius prae probabiliori, vel probabilis, prae tutiori minus probabili,

Nn ij

illa

illa à Probabilioristis, hæc à Tutoristis, & utraque à Probabilistis negatur.

20. In forma dico, quod cum quaelibet certo probabilis sit æque formaliter tuta à peccato formali, quaelibet ultimo fini conducit; nam nullum peccatum materiale, aut error materialis separat ab ultimo fine, sed unice peccatum & error cognita ut certo vetita. Paritas Henrici probat nec probabilioris iatis esse; quia, ut dixi, nemo tenetur, quin nec potest stricta fide Divinam credere, quod proponitur tantum ut probabilis; sed unice id, quod ut moraliter certum. Vid. *disp.* 14. Adde eo arguendi modo probari Judaismum præ Christianam legem sequendum; eodem enim tenore arguo: Judæi, & Christiani fatentur legem antiquam, sanctam; Judæi negant Christianam legem sanctam: ergo lex Judæorum preferenda.

N. 21. Argumenta vel ex violatione materiali legis, ob quæ Tutoristæ ad tutius obligant, vel ex obligatione sequendi verius, ob quæ Probabilioristæ permittunt probabilius, constat adeo infirma esse, ut ea solvere teneantur utendo nostris principiis. Docentes enim licitum sequi minus tutum probabilius, solvere debent argumenta ex obligatione non violandi materialiter legem: docentes necesse sequi tutius minus probabile, solvere debent, quæ à veritate sumuntur: ergo si, stante hac certâ argumentorum nullitate, licentia probabilioris minus tutæ est certa Probabilioristis; & necessitas tutoris, si sit minus probabilis, est certa Tutoristis; cur nostra non erit nobis moraliter certa, tum ob argumenta directâ, tum ob nullitatem rationum oppositarum, quæ ab ipsis Adversariis solvendæ sunt?

N. 22. Dices 1. utroque saltem argumento ex lege intellectus ad verum, & voluntatis ad bonum, evinci, quod non liceat minus tuta minus probabilis. Nego; si enim utrumque divisum est nullum, etiam unitum erit tale, cum non habeat, unde robur sumat. Adde quod nulla tutior probabilior damnari potuisset, si semper sequenda esset. Equivocum oritur, tum quia non est quæstio, an liceat tutius, & probabilius, de hoc enim nemo dubitat; sed an necessario sequendum; tum quia non attenditur ad utramque legem intellectus, & voluntatis, & utriusque violationem: asserens enim ex. gr. ut tibi probabilius, quod contritio sit de necessitate confessionis, operando juxta illam, non peccat contra legem voluntatis, peccat tamen contra legem intellectus, supponendo dari legem de contritione, cum certum sit oppositum.

Dices 2. Quoties probabilis est dari legem, libertas à lege non est certa. Nego; nam libertas est certa, lex adhuc est incerta: ergo sibi certo liber à lege incertâ. Adde, quod si usus minus tutæ minus probabilis non liceret, vetandus fuisset à SS. PP. magis sollicitis negare quæ non licent, quam approbare quæ licent, ut constat ex Decalogo, cujus præcepta negativa sunt plura, positiva pauciora: ergo ex hoc, quod non vetuerint, gravissimum indicium est, quod liceat.

Prætereo 1. quod trahit ex Trident. *cap. 10. sess. 4.* de Editione, & Vitiis Sacrorum Librorum. Si enim Concilium pro coercenda ingenii petulantia pro remedio dat, ne quis suæ prudentiæ nixus, in rebus fidei, & morum, Scripturam ad suos sensus torquet contra Ecclesiæ, & unanimem Patrum consensum; rogo, an qui omnem suæ oppositam, etiam inter TT. communem, delectare obligat, ut nisi propriam, quia sibi est probabilior, sequatur: immò qui consultit, ut cum omni oppositâ inter TT. opinione, sæpe extrinsece probabiliori, eo modo se gerat, ut Catholici cum Hæreticis, spernendo oppositam autoritatē, ut nullam, dicendo opinionem non esse sibi probabilem, sed certo falsam, negando licitum remittere consulentes ad DD. oppositos, obligando, ut omnem propriam, quia sibi probabilioris præferat oppositæ, quæ omnia Catholici contra Hæreticorum opiniones dicunt: rogo, inquam, an hoc dicentes de propria prudentiâ diducant an totum propriæ, alienæ nil deferant? Ergo Anti-Probabilistarum doctrina, dum propriæ prudentiæ fidere obligat, adeo ut alienæ oppositæ fidere nequeat, tollit medium à Tridentino statutum pro moderanda ingenii petulantia.

Prætereo 2. quæ Scriptura, & SS. Aug. N. Chrysost. Bonav. & alii *cap. 10. & 11. tra. 24.* hit. Prætereo, inquam, tum quia sæpe soluta; tum quia si plures tutiores suis Patronis probabiliores damnatæ sunt; & plures minus tutæ, iisdem minus probabiles, approbatæ sunt ab Ecclesiâ, eo ipso non omni ratione tutior, & probabilior ducit ad vitam, & cadit sub legem: tum quia, si daretur lex de sequendo sibi probabiliori, magis, aut minus tuto, nullus converti posset, nisi ejus opinio ab Ecclesiâ damnaretur; nam contra omnes, scuto probabilioritatis, & legem naturali sequendi sibi probabilis, præternaturali sit ingenio præstans, & indocilis iudicio, se proteget: ergo via tutoristis, sed probabilioritatis non est via ad vitam, sed est via mortis, & cæcorum; vel si est via ad vitam.

N.
25.
De
Charl.

vitam, erit quoque via certæ probabilioris; ad summum enim eam sequens, errabit materialiter, non formaliter à scopo, si falsa sit.

Prætereo 3. quæ trahit *cap. 12.* quod, etsi nulla Ecclesiæ lege sanciretur, ipsa tamen naturæ lege demonstratur, tutiorem in delectu opinionum moralium diligendam. Porro, quod ex Pontificum decisionibus congregat, est contra Antonium; si enim tutius ex lege naturali sequendum, illicitus erit usus minus tute moraliter certæ, immo per eam solam naturæ legem omnis questio morum dirimi poterit, nec ulla erit, orationis, aut studii necessitas; nulla quoque tutior damnari poterit quæ illationes cum sint certo falsæ, falsum erit antecedens, nempe, dari legem naturalem sequendi tutiorem inter opiniones morales. Addo, me omnes textus Canonicos solvisse *disp. 13.*

N.
26.
De
Charl.
Alex.
VII.
Inn. XI.

At præterire nequeo, quod *cap. 12.* urget ex Alex. VII. & Innoc. XI. qui hoc ipso quod plures creditas probabiles damnarunt, eo ipso uterque Papa censuit, probabilitatem satis non esse ad securitatem conscientie. Sed contra; quia sæpe dixi, quod omnis damnata fuit suo Patrono probabilior; immo moraliter certa, juxta modum discurrendi Modernorum Probabilioristarum, negantium probabilitatem omni oppositæ minus probabili; ergo uterque Papa damnavit, probabilioritatem, aut certitudinem satis esse ad conscientiam: ut autem hec illatio non tenet, ita nec illa. Papa eas damnans ostendit eas falsæ à suis Patronis putatas probabiles, aut probabiliores, quod earum Patroni non attenderunt.

N.
27.
De
Charl.

Prætereo 4. quæ adducit *cap. 14. & 15.* ex Theologis, quorum textus latè expendi *disp. 12. sect. 2. 3. 4.* ostendendo, antiquiores aliquos fuisse Tutioristas; posteriores illis fuisse Probabilioristas Anti-Tutioristas; neminem autem fuisse Anti-Probabilitatem.

§. II.

Quia ex quo orta est nostra sententia, plures habuit Adversarios, quam defensores.

SUMMARIUM.

Negat nostram sententiam esse probabilem, n. 28. Ostendo irremediabilia absurda ex oppositâ, nulla ex nostrâ, n. 29.

Nec Certitudinistæ à Probabilioristis, nec hi ab illis tueri se possunt, nisi nostris principiis utantur, ibid.

Ostendo eadem mala in Ecclesiâ Dei, etsi darentur lex de tutiori, aut probabiliori, n. 30. ad 33.

Tom. III.

Cur Papa particulares damnavit, n. 33.

Si Adversarii Morales Summas edocent, forte docerent aliquas damnabiles, n. 34.

Per legem tutioris, aut probabilioris peccata, & errores sunt inemendabiles, usque dum à Papâ damnentur, ibid.

Probabilismus laxus qui rejiciendus, n. 35.

Magis savi laxitati Probabiliorismus, n. 36.

Culpa est Probabilioristæ, n. 37.

Remedium est serio veritatem, & probabilitatem opinionum particularium damnare, n. 38.

Gallia Episcopi quid damnavit? n. 35. ad 39.

Dicit *1. cap. 16.* quod cum nostra sententia nulla certâ ratione demonstretur, conemur multitudine suffragiorum plausibilem reddere; cum tamen certa prudentiæ regula sit, suffragia ponderanda potius, quam numeranda; immo, etsi numeranda essent, vix posset nostra sententia ad extrinsecam probabilitatem ascendere, tantum abest, quod sit moraliter certa.

Sed contra; tum quia sibi contradicit, nam vel nostra sententia nata est sæculo elapso tempore Medinæ, & opposita tempore Candidi Philaleni; tunc autem numero, & pondere maiores stant pro nostrâ Doctores: vel longè prius nata est, nec non etiam opposita? tunc autem dicere non potest esse recentem, & novam; immo si sua est antiquorum, ut ait, eo ipso & nostra. Tum quia, non nisi Thraconius est, dicere nostram, ne quidem extrinsecè probabilem. Immo quid aptius ad moralem certitudinem peti potest, quam rationes à nobis dilatæ; ex impossibilitate frequenti, tum probabilioris, tum tutioris; ex contradictione Anti-Probabilistarum inter se, immo cujunque secum ipso; ex nullitate rationum oppositarum, sumptarum ex legis, & veritatis amore, ex eo quod nullam de sequendâ semper tutiori, & probabiliori afferant legem; ex eo quod, datâ tali lege, inemendabilis esset error, & scandalum, nisi per Papæ decretum; ex confusione probabilitatis speculativæ cum practicâ; ex transitu à probabilitate simultatis ad simultatem probabilitatis, & econtra; ex eo quod despiciendæ omnes alienæ, etsi celebriorum Doctorum opiniones, si mea sit mihi probabilior; ex eo quod sententia opposita, præter vitia, quæ nostræ opponit, quæ omnia ad oppositam etiam sequuntur, cum nulla sit damnata, quæ non fuerit suo Patrono probabilior, aut moraliter certa, trahit ad summam sui æstimationem, ad judicii indocilitatem, ad opinionum alienarum, & opinantium contemptum;

Na iij

tum;

N.

28.

De

Charl.

N.

29.

Medin.

Philal.

tum; ex eo quod sequens minus tutam minus probabilem idem motivum honestum sibi præfigere potest, quod præfigitur ab omni Catholico operante aliquid sibi commodum, a Deo certo non vetitum; ex eo quod Tutorista cum Probabiliorista certantes, & hi cum illis, hi solvere se nequeant ab argumentis Tutoristarum, sumptis ex periculo violandi materialiter Dei legem; & illi ab argumentis Probabilioristarum, sumptis ex periculo errandi materialiter contra veritatem; neutri, inquam, possunt se defendere, nisi nostris principiis utantur, nempe Probabiliorista dicendo, quod materialis violatio legis Dei curanda non sit, quoties minus tuta est longe probabilior; & Tutorista dicendo, quod materialis error contra veritatem spernendus sit, quoties minus probabilis est tutior. Demum ex eo quod questio, que hodie tanto conatu agitur, quænam opinio inter incertas sit eligenda; an tutior probabilior, omiſſa minus tuta minus probabilis; an tutior inter æquæ probabiles; an inter inæqualiter probabiles, & inæqualiter tutas tutior minus probabilis, an probabilior minus tuta præferenda sit; hæc, inquam, questio generalis in ordine ad mores nihil prodest: quæcumque enim quis sequatur, oriri possunt mala, quæ sequenti oppositam opponuntur.

N.
30.

Expono, & do dari legem sequendi tutius, & probabilius. Numquid nulla erit in Dei Ecclesiâ opinio mala? Non sanè: nam ut hæcenus damnatæ fuerunt plures tutiores probabiles, nec per eam legem curari poterant illæ opiniones, immò incurabiles fuissent; ita quoque dari poterunt aliæ æquæ damnandæ, etsi detur lex de sequendâ tutiori probabiliori, & per hanc legem naturalem fient incurabiles.

N.
31.

Do dari legem sequendi tutiorem ex æquæ probabilibus: ecce idem argumentum; ut hæcenus ante damnationem ex æquæ probabilibus tutioribus prodire poterant aliquæ damnandæ, nec tali lege Ecclesiæ Dei proviſum fuisset, ita nec nunc.

N.
32.

Do dari legem sequendi tutiorem minus probabilem præ probabiliori minus tuta: ecce reddit argumentum, quod sicut plures tutiores minus probabiles damnatæ fuere, nec eâ lege Dei Ecclesiæ protecta fuisset ab omni malâ opinione, ita nec nunc.

N.
33.

Alex.
VII.
Ioa. XI.

Do permitti usum minus tute probabilioris: ecce recurrit argumentum, nam pleræque ex damnatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. fuere minus tuta suis Patronis probabiliores: ergo à primo ad ultimum liquet, quod laxitas opinandi per nullam earum legem

curari possit, ut dixi *disp. 10. sect. 2. §. 1.* cur autem, nisi quia errores, & scandala non insunt, nisi opinionibus particularibus, non ulli regulæ generali, sive permittenti, sive neganti licitum usum minus tute probabilioris, aut tutioris minus probabilis, aut minus tute minus probabilis? Hinc ad recte, & sanctè hæc, & nunc opinandum, & operandum, nil facit regula generalis, sive negetur, sive affirmetur usum minus tute minus probabilis. Quod facit, est ipsa opinio particularis; in hac enim, sive tutiori probabiliori, sive tutiori minus probabilis, sive probabiliori minus tuta potest esse, aut abesse scandalum, error, & omne aliud malum, quod ab eâ oritur. Hinc sanctissime Pontifices opiniones particulares damnarunt, quarum aliquæ fuere tutiores, & suis Patronis probabiles, ut omnes Baij; aliquæ minus tute suis Patronis probabiles, & Adversariis minus probabiles, ut omnes ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatæ. Hinc quoque ab utroque Pontifice sanctè moniti Theologi, ut opiniones particulares ponderarent, non dando securitatem, probabilioritatem, aut probabilitatem opinionibus, quæ illis carent.

Demum vellem, ut aliqui ex Anti-Probabilistis, qui tantum fremunt in Probabilistis, & se Divinæ legis, & veritatis amicos jactant, summam aliquam Theologiæ moralis in lucem publicam proferrent. Audere dicere, quod tæpe minus tutas, & vulgo minus probabiles, sibi tamen probabiles, sequerentur: quo casu idem scandalum, & laxitas ijs opponi posset, quod ipsi opponunt Summis Probabilistis, cum hoc tamen discrimine, tum quod Probabilistæ negent obligationem sequendi probabilem ex minus tutis, Probabilioristæ affirmant; cum tamen utrique eandem particulares opiniones sequantur: tum, quod Probabilioristæ per eam legem sequendi sibi probabilis se reddant incorrigibiles, & à suâ opinione laxâ particulari, sibi tamen probabiliori, immovibiles, donec à sanctâ Sede damnetur; si enim Probabiliorista sit acris ingenii, à nullo facile de minori suæ opinionis probabilitate convincetur. At Probabilista negans eam legem, etsi ea opinio particularis laxa sit ei probabilior, quia tamen permittit minus probabilis usum, facile in oppositam finem minus probabilem ire poterit. Ecce quod ducat larvatus sub specie legis, veritatis, & sanctitatis, Probabiliorismus.

Dicit 2. cap. 16. utrumque Papam, Alex. VII. & Innoc. XI. malè excepisse Probabilitatem, & post summè laudatum à se Car-

C. Agui- dinalem Aguirre; scribentem, nullum do-
ctrinā, & sanctitate insignem Probabilismo
C. Bella- laxo adhæsisse, sed tutiorem, aut palam proba-
biliorem sequendam, citat tum Cardin.
Bellarminum aientem, quod si certitudo non
C. Laur. possit apparere, tutior sequenda sit; tum
Card. Lauream judicantem, quod sententia
negans licitum usum minus tute minus proba-
bilis, habeat pro se ferè totam Eccle-
siam.

N. Sed contra; quia meritò à dictis Cardi-
36. nalibus latus Probabilismus rejicitur, nem-
pe, quod satis sit opinio probabiliter proba-
bilis; quod satis unus Author; quod satis,
ut ab aliquibus dicatur probabilis, etsi à
contrariis Doctoribus putetur certò impro-
bilis; quod satis probabilitas speculativa.
Hic est probabilismus latus, meritò reje-
ctus; at noster, nec non ferè omnium Pro-
babilistarum Probabilismus, non est talis,
ut latè ostendi, nam volumus, & volumus,
quod, ut opinio liceat, debeat esse certò
probabilis; quod nulla sit certò probabilis,
nisi talis sit etiam Doctoribus oppositis;
quod non satis, ut non sit vetita, nisi præter
hoc ostendatur ejus probabilitas tam absolu-
ta, quam relativa; quod non satis, ut sit
tutius Doctoris, aut impressa libro. Hæc est
Probabilitas, quam tuemur; illa est, quam
rejecimus.

Quod si nostra probabilitas conferatur
eum probabilioritate in ordine ad laxitatem,
sole clarius est, ut dixi *disp. 15. sect. 2.* proba-
bilitatem magis se habere ad laxitatem,
quam nostram probabilitatem: tum quia
volo necessariam probabilitatis certitudi-
nem; Probabilioristæ autem negant certi-
tudinem probabilioritatis necessariam: tum
quia nos obligando ad non nisi certò proba-
bilem, obligamus investigare, quæ inter
opiniones talis sit; at Probabilioristæ obli-
gando ad probabilior, deobligant ab ejus
investigatione: tum quia nulla est probabi-
lis laxa, quæ non fuerit suo Authori proba-
bilio; immò non omnis laxa est minus proba-
bilis, etsi ea sit suo Patrono probabilior;
ergo, cum non omnis laxa sit minus proba-
bilis, nam sepe Doctores ei opinioni oppo-
siti negant eam esse sibi minus probabilem,
immò esse impossibile dicunt; e contra
omnis laxa sit suo Patrono probabilior, eo
ipso laxitas plus unitur probabilioritati,
quam probabilitati: tum quia per legem se-
quendi sibi probabilior, ejus opinionis
laxitas sit irremediabilis; at per licentiam
minus probabilis sit remediabilis: ergo Pro-
babiliorismus plus se habet ad laxitatem,
quam Probabilismus, & lex de probabi-

liori eam facit irremediabilem; non lex re-
mediabilem.

Dicit 3. *cap. 17. & 18.* plures Episcopos, N:
& Ordines Religiosos censurasse abusum
37. probabilis. Fateor ita esse, & rectè; nam
nos quoque illum, immò abusum probabi-
lioritatis censuramus. At quid inde? Num-
quid probabilitas in causâ est, quod quis ea
abutatur? Non utique: aliàs censurans pi-
cturæ, Poësis, Theologiæ, Scripturæ, &
aliarum scientiarum abusum, eas scientias
censurabit, cum tamen picturæ, Theolo-
giæ, Scripturæ abusus, sit Pictoris non Picto-
ris, Poetæ non Poetæ, Theologi non Theo-
logi, qui ipsæ artibus, & scientiis abutun-
tur. Ita in nostro casu, nulla in Probabilita-
te, sed tota in Probabilistâ, aut Probabilio-
ristâ culpa est, qui probabilitatem, aut
probabilioritatem dant opinioni, utramque
excludunt.

Quare, ut hic abusus eradiceetur, nullum N:
aliud video remedium, quàm, vel quod
38. opiniones particulares habitæ ut probabiles,
Alex: cum tales non sint, damnentur, ut rectè
VII. præstitit Alexander, & Innocentius; vel
Ion. XI. quod quibus librorum imprimendorum re-
visio incumbit, eradant è libris, antequam
publicæ lucis fiant, quæ non sint certò pro-
babiles; vel quod Theologiæ non præfici-
antur, nisi viri sapientiæ, probitate, & pru-
dentiâ conspicui; siue sint Probabilistæ, si-
ve Probabilioristæ; nil enim tradent, nisi
inter DD. classici certò probabile. Non au-
tem remedium est præficere Theologiæ An-
ti-Probabilistæ; ut enim per probabiliorita-
tem non tollitur scandalum ab opinione, si
fortè inest, quin sit irremediabilis; ita nec
per Probabilioristas, præsertim cum sæpe,
quod inter DD. classici est minus probabi-
le, & fortè non probabile, possit à Probabi-
lioristâ dici probabilis; ut patet in omni
damnata, quæ fuit suo Patrono probabilior.

Dicit 4. plures Galliarum Episcopos damna-
N. se, quod satis ad conscientiam sit omnis opi-
nio probabilis; quod satis minus tuta minus
39. probabilis; quod satis probabilitas, & dire-
De- ctio intentionis; eaque principia scandalosa,
Charl: impia, venenifera dicunt. Resp. rectè ea
principia damnata, nec nostra sunt; quin ea
negamus: nostra sunt, quod satis ad securita-
tem omnis certò probabilis præticæ, & ut
talis sit, necessaria certa probabilitas, tum
absoluta, tum respectiva; adeoque tanta, &
talis probabilitas, ut à Doctoribus ei opinio-
ni oppositis putetur certò probabilis. Vid.
disp. 15. sect. 2.

minùs tutis probabilioribus, aut moraliter certis, contradiçtorijs, ex quibus tot sunt falsæ, quot veræ. Sicut ergo animus sequendi quamlibet ex his non abducit moraliter à Deo, immò nec materialiter, nam à Deo, nec materialiter recedimus, nec accedimus; ita nec animus sequendi quamlibet ex illis. Quod enim à Deo nobis vetatur, est formalis violatio, non autem sola etiam materialis divisa ab illà; maxime si hæc materialis certò probabiliter negetur, ut in casu nostro, etsi posset quoque certò probabiliter affirmari.

S E C T I O IV.

Ejus argumenta pro non licito usu minùs tutæ probabilioris, si stans pro lege sit probabilis.

S U M M A R I U M.

Negat licitum sequi minùs tutam probabilioris, n. 44.

Ejus rationes à n. 45. ad 48.

Faciunt quòd argumentum ex periculo peccati materialis suadent non licere probabilioris minùs tutam, n. 50.

Dico quòd cum æque deus lex de vitando errore materiali, ac peccato materiali, si licet tutior minùs probabilis, licet minùs tutæ probabilior, n. 51.

Si aliqua præferenda, præferenda minùs tutæ probabilior, nec ulla dari potest lex de tutiori minùs probabilis, n. 52. 53.

Solvo rationes à n. 55. ad 57.

N.
44.
De
Charl.

Docet cap. 21. pag. 157. quòd, nec licitum sit sequi minùs tutam probabilioris, si tutior sit probabilis; etsi enim credere possum veram probabilioris, non tamen continuo licet secundum eam agere, quia exponeret se periculo probabili peccati; nam licet assensus opinionis probabilioris non sit imprudens, est tamen ejus usus, quia usus separari nõ potest ab hac malà circumstantià, nempe à periculo peccati, à quo separari potest assensus probabilior: ex. gr. licet judicare possum aliqua verba non includere blasphemiam, non tamen prudens erit judicium practicum, quòd ea verba proferre possim.

N.
45.

Probat 1. eà regulà, Quod tibi non vis, alteri ne feceris; sed nemo veller, ut famulus poneret aliquid sibi probabiliter displiciturum, etsi probabilius videretur famulo eam non displiciturum: ergo nemo potest velle ponere aliquid, etsi probabilius, Deo non displiciturum, si probabile simul sit displiciturum.

N.
46.

Probat 2. ex charitate, quæ postulat, ut

præferamus Deum omni incommodo nostro, quoties probabile est ejus legem violandam: ergo gravissimè leditur charitas, si ponamus opus cum probabili timore offendendi Deum; sed hoc accidit in eligente minùs tutam probabilioris, quoties tutior est probabilis: ergo.

Probat 3. ex prudentià, quæ obligat omittere omne id, quod probabiliter potest nos 47. separare à Deo.

Probat 4. cap. 22. quia ad peccatum requiritur, ut liberè violetur Dei lex; cum autem sequens probabilioris minùs tutam cognoscere probabiliter possit periculum violandi Dei legem, & id eligat, eo ipso nil deest ad peccatum. Nec subterfugimus per nostram distinctionem peccati materialis, & formalis, quasi verò tunc tantum sit sequendum tutius, quando præter violationem legis imminet aliud damnum; nam Innocentius XI. (ait pag. 167.) damnavit dicentem, Inn. XI. non esse illicitum sequi probabilem de valore Sacramenti, nisi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: ergo licet nec lex positiva vetet, nec conventio, nec imminet periculum alicujus damni, adhuc illicitum est sequi probabilem. Cur autem, nisi quia periculum esset, quòd Sacramentum foret nullum? Ergo ipsa sola materialis irreverentia est vitanda.

Probat 5. cap. 23. ex tot minis, & promissis, quibus Deus utitur, ut nos suæ legis observantes efficiat: ergo non tantum vult, ut pareamus legi, dum ea certò constat; sed etiam, ne ponamus id, quo probabile est eam violandam. Trahit in hunc finem exempla Sanctorum, & textum sæpe adductum, quòd via apparens iusta ducat ad mortem; & quia excusabilia essent peccata persequentium Ecclesiam, qui putabant obsequium se præstare Deo: ex cap. 24. dicit hoc sensisse Scotum, Adrianum, Almainum, Caietanum, Gabrielem, Authorem Armillæ.

Scotus,
Adrian.
Almain.
Caiet.
Gabriel,
Armilla

Laudo in hoc Doctore consequentiam, aperte enim fatetur cap. 21. pag. 155. quòd argumenta sumpta ex inculcatione legis, ex ijs, quæ Deo debemus, ex charitate, & alia adducta contra licentiam minùs tutæ, minùs, aut æquè probabilis suadeant illicitum quoque usum minùs tutæ probabilioris, si adest periculum probabile violandi legem. Quare Author iste non est Probabiliorista, sed Tutiorista.

At facillimè ejus argumenta exploduntur, si advertatur, quòd non inferioribus promissis, & minis impellat nos Deus ad veritatem, quàm ad aliarum legum observantiam;

tiam; nam non minus datur lex de veritate, ac de aliis virtutibus. Rogo modo Antonium, cur jacens inter tutiorem minus probabilem, & probabilio-rem minus tutam, teneatur ad illam? Si dixerit, ut dicit, quia sequendo minus tutam probabilio-rem exponit se periculo violandi materialiter Dei legem; urgebo, quod etiam sequens tutio-rem minus probabilem contra probabilio-rem minus tutam, exponat se periculo violandi legem veritatis: si ergo ex periculo probabili violandi aliam Dei legem infert, nos teneri ad tutius minus probabile; longe maiori jure inferam ego, quod ex periculo probabili recedendi materialiter a veritate, assentiendo minus probabili tutiori, omisso assensu erga probabilio-rem minus tutam, tenebimur eligere probabilio-rem minus tutam præ tutiori minus probabili.

N.

52.

De

Charl.

Accedit, quod, si hic Doctor magis stat pro securitate opinionis a peccato materiali, quam pro securitate opinionis ab errore materiali, cur tantum sibi plaudit de veritate, speciosum scribens frontispicium, *Viam veritatis elegi*? Cur in Probabilistas tantum fremit, quod minus probabilem sequantur, pugnans ibidem pro aris, & focis, pro maiori apparentia veritatis, quam modo nihili facit? Cur contra ignorantiam tam vehementer concitatur, cum tamen nunc ex duplici iudicio probabili, & probabiliori, stet pro minus probabili? Cur probabile periculum erroris materialis non præfert periculo probabili peccati materialis; præsertim cum ipse error materialis (si forte inest iudicio minus probabili, & quidem inest probabilius est) sit etiam peccatum materiale; nam est contra legem veritatis; quod non accidit iudicio probabiliori stante pro minus tutâ, ad summum enim inest probabile periculum peccati materialis, cum probabili periculo erroris materialis; inest, inquam, iudicio probabiliori circa minus tutam? Ergo si ex malis minus est præferendum, præferenda potius est probabilior minus tuta, quam tutior minus probabilis: nam in sequelâ tutioris minus probabilis, & est periculum probabile peccati materialis; & est probabilius periculum erroris materialis: in sequelâ autem probabilioris minus tutæ est tantum probabile periculum peccati materialis, cum minus probabili periculo erroris materialis. Addo, quod cum dicat, satis esse ad peccatum voluntariam legis violationem, eo ipso error materialis, qui probabilius inest potest iudicio minus probabili, non tantum erit peccatum materiale, sed & formale, quia contra legem veritatis cognitam: ut enim

lex charitatis erga Deum obligat ad tutius, & qui sequitur minus tutam peccat propter hoc, ait Antonius, non tantum materialiter, sed & formaliter; ita dicam ego, quod lex veritatis ad verius: ergo qui scienter sequitur minus veram, omittit verior, errat materialiter, & simul peccat tum materialiter, tum formaliter, quia scienter contra legem veritatis.

Demum tantum abest, ut detur, quin nulla dari potest lex de sequendâ tutiori minus probabili, præ probabiliori minus tuta, quia, si, ut sæpe dixi, plures tutiores materialiter, & suis Patronis probabiliores damnatæ fuere hæcenus, ut scandalose &c. quanto magis tutiores minus probabiles? Ergo, si implicat lex de sequendâ semper tutiori sibi probabiliori, nam datur lex obligans sequi opiniones damna- biles, & damnatas, implicat ob eandem rationem, ut data fuerit, aut detur lex sequendâ semper tutiorem minus probabilem, præ probabiliori minus tuta.

Ad rationes, et si solutio pateat ex dictis, cum eadem sint argumenta sæpe repetita, nego minorem, vel eâ transmissa, nego consequentiam. Disparitas est, quia mihi nihil est alterius iudicium, & intentio, sed opus econtra Deo.

Ad 2. præferentia, quam Deo debemus, stat, quod Deum, neglectis omnibus creaturis, præferamus omni rei certo vitæ, aut probabiliter iudicatæ vitæ; non quod præferamus rei probabilius, aut probabiliter negatæ vitæ; talis enim præferentia, nec cadit, nec cadere potest sub lege, cum implicet lex de tutiori, aut probabiliori.

Ad 3. dico nullum peccatum materiale nos separare a Deo, nisi sit peccatum for- male.

Ad 4. dico, quod eligens minus tutam materialiter, sub iudicio probabiliori de ejus licentiâ, & cum potentiâ proximâ ad probabile iudicium de non licentiâ, non possit peccare formaliter; ut enim quis formaliter peccet, non satis, ut dixi disp. 18. art. 8. possibile iudicium de peccato materiali, & ejus libertas, sed necesse, ut careat iudicio subjectivè probabili, aut probabiliori de non peccato materiali, quo tunc non caret. Ad paritatem ex Sacramentis, dico eam rectè damnatam; non enim est prædictæ probabilis opinio docens, licitum uti materia probabili, exclusâ lege, aut proximi damno, exponendo Sacramentum nullitati, sine gravissimâ causâ; etsi esset speculative probabilius non frustrandum.

Ad 5. nego consequentiam; probari enim non

Alex.
VIII.

non supponi debet, quod teneat sequi tutius; immo satis esse probabilissimam, etsi sit minus tuta, definivit Alexander VIII. ergo violatio materialis non separat a Deo, nec tenemur eam vitare. Idem patet in moraliter certis minus tutis. Cur ergo hoc dici non potest in probabilioribus, immo in æquæ, aut minus probabilibus?

SECTIO V.

Quid Antonius dicat de invincibili juris naturalis ignorantia?

SUMMARIUM.

Alex. VIII. damnat, quod invincibilis juris naturæ ignorantia non excuset a peccato, n. 58. Antonius ait, quod rarissime lateat veritas conclusionis a jure naturali remotissima, ibid. Hac doctrina illudat Decretum Alexand. n. 59. ad 61. Et facit medietatem Ecclesie Doctorum invicem contra licentium venialiter peccasse, n. 62. Nemo dolere tenetur de puro peccato materiali, n. 65-66.

N.
58.
Alex.
VIII.
De
Charl.

Laudata censurâ Alexandri VIII. damnantis opinionem, quod invincibilis ignorantia juris naturæ non excuset a peccato formali, ait Antonius cap. 25. gravem esse inter T.T. controversiam, an talis invincibilis ignorantia, seu totalis inscitia alicujus veritatis naturalis in adultis ratione utentibus detur. Ita autem exponit invincibilem ignorantiam per dictam inscitiam, quia non vult concedere Probabilistis, quod tunc etiam detur invincibilis ignorantia veritatis, quando veritas cognosci probabiliter potest, dummodo certò cognosci non possit. Videtur autem Antonius velle, eam vix esse possibilem, & vix ullam talem juris naturæ ignorantiam dari, quæ ab omni peccato saltem veniali excuset. Primò, quia Scriptura refert plures à Deo punitos, in quibus nullam fuisse culpam crederemus, nisi Spiritus S. culpam fuisse doceret. Secundò, quia ea est mens Sanctorum, qui humili corde abolere studuerunt, quæ ignoranter patrarunt. Tertiò, quia vera dilectio obligat dolere, non tantum de peccato formali, sed & de materiali; ut patet in filio, qui, si prorsus inscius patrem occidisset, doleret de eo peccato materiali, de quo gaudere nequit, juxta decretum Innocentii XI. damnantis, licitum gaudere de morte patris in ebrietate illatâ. Quarto, quia vix umquam adultus potest esse certus, suam ignorantiam invincibilem fuisse

in actione juri naturæ opposita; & ideo pag. 185. ait, quod, vel nunquam vel rarissime lateat veritas conclusionis a jure naturali remotissimæ, ut si diligentia, & oratio necessaria adhibita fuisset, & animus à cupiditate alienus, potuisset ea dubitative saltem cognosci, & sic non omnino ignorari.

At hæc doctrina mihi non placet. Primò, N. quia videtur illudere decreto Alexandri VIII. si enim talis ignorantia vix est possibilis, ergo Papa definivit, quod id, quod vix est possibile, excuset a peccato formali. Quod rejeci disp. 5. sect. 2. §. 1.

Secundò, quia Alexander absolute dicit, N. excusare a peccato formali; sed tam mortale, quam veniale est peccatum formale; ergo excusat etiam a veniali: ergo dicere, quod pierumque cuique ignorantie juris naturæ infit saltem veniale, est dicere, talem ignorantiam, etiam circa remotissima a jure naturæ, non esse possibilem: ergo Papa damnavit sub conditione pierumque chimericâ; cum per Antonium vix possibilis sit ignorantia invincibilis etiam circa remotissima a jure naturæ, quæ immunis sit ab omni veniali.

Tertiò, quia hic Author concedere tenetur sanctissimos Ecclesie DD. quantumlibet sapientes, inter se contradicentes, quorum media pars tantum verum dixit, peccasse se semper saltem venialiter, circa veritates naturales ignoratas. Sanè genius istæ multiplicandi tot peccata, in mediâ parte Doctorum contradicentium, mihi non arridet; meliorem enim de Ecclesie Doctoribus concipio opinionem, ut mihi eorum favorem promerear. Ecce, quò hujus, & similium Authorum doctrina, exclamationes, & lacrymæ ducant. Jam non miror, quod adeo faviant in Probabilistas, ut video, tot peccata sine ullo fundamento in mediâ parte Ecclesie Doctorum multiplicari. Porro, tum quod ignorantia legis, de cujus existentia inter Catholicos disputatur, invincibilis sit, patet ex S. Anton. & Adriano, qui eam vocant invincibilem, ut dixi disp. 5. sect. 2. §. 2. & sect. 4. §. 2. Tum, quod frequens sit inter Ecclesie DD. & T.T. circa remotas juris naturæ conclusiones, contradictio, præter allata disp. 5. sect. 4. nemo est, qui nesciat: quot enim, vel in solâ justitiæ, & contractuum, religionis, & simonice, juramenti, & voti, justæ, & inculpatae defensionis, materiâ? Quot igitur peccata venialia erunt, vel in uno solo ex alterius Ecclesie DD. contradicentibus; & quidem eò plura, quò de pluribus disputavit, & quò scientior fuit? Apage tristem hunc genium, cujus tota doctrina

N.
59.
Alex.
VIII.

N.
60.
Alex.
VIII.

N.
61.

S. Amro-
nin.
Adrian.

Et rina est multiplicare peccata, & quidem pro libito; ex hoc enim præcisè, quod neget possibilem, nisi rarissimè ignorantiam omnino invincibilem, etiam circa à principiis naturalibus distantia, cogitur dicere ferè omnem fuisse vincibilem, & peccato saltem veniali infectam.

N. 62. Venio ad argumentum, & rogo, quid laudet in Alexandro? Censuram, dicet, contra opinionem negantem, quod invincibilis juris naturæ ignorantia excuset à peccato formali. At intto: Si hæc per te non est, nisi rarissimè possibilis, & plerumque impossibilis, adeoque imbibens peccatum veniale, ut dicis, sequitur, quod Alexandri censura sit sub conditione plerumque chimæricâ; nam, per te, vix est possibilis omnimoda juris naturæ ignorantia, etiam circa remotissima: immo quod censura non sit benè expressa, nam, juxta te, excusat à formali mortali, non à formali veniali; cum tamen Papa absolute dicat, excusare à peccato formali: cum ergo censura sit doctissimè lata; & non nisi ex puro arbitrio negetur possibilem omnimodam ignorantiam, saltem circa remotissima à jure naturæ; eo ipso quantum laudanda est censura, tantum à tua doctrinâ recedendum.

N. 63. Ad 1. hoc ipso quod Spiritus S. docet aliquam habuisse culpam, hoc ipso in illis Sanctis ignorantia fuit non omnino invincibilis; non enim dico, quod omnis putata talis, talis sit.

N. 64. Ad 2. Sancti ægregiè se gesserunt dolendo, & abolendo peccata ignorantia saltem sub conditione, præsertim cum aliqua culpa illis inesse potuerit; at non inde fit, quod omnis ferè ignorantia circa remotissima fuerit talis.

N. 65. Ad 3. aliud est, quod non liceat de peccato materiali gaudere; quod verum est, quia gauderet de re in se malâ, cognitâ ut tali, & sic formaliter peccaret; etsi dum illam posuit, non cognovisset, ut malam; ut dixi *disp. 6. sect. 2. §. 2.* aliud est quod teneat dolere de peccato materiali; quod falsum est, nisi, vel sub conditione, si fortè irrepfit veniale; vel penes illos, qui in lacrymas faciles sunt, & ut Jeremiæ legis Euangelicæ haberi volunt.

N. 66. Ad 4. dico plures SS. Ecclesiæ DD. & TT. pietate insignes esse potuisse moraliter certos se in hac, aut eâ conclusione, à jure naturali remotissimâ, laborasse invincibili ignorantia; non minùs ac Antonius de pluribus putat se habere certitudinem moralem. Quod si aliqui ex SS. dolere, est, quia bonarum mentium est, ibi culpam agnos-

cere, ubi non est. Falsum autem rarissimam esse ignorantiam prorsus invincibilem circa remotissima à jure naturali; quoniam ferè adeo frequens est, quam sit inter DD. æque doctos, ac religiosos frequens contradictio.

SECTIO VI.

Regula Antonij pro opinionum delectu.

SUMMARIUM.

Ait omnem certam eligendam, n. 67.

Ait inter duas leges præstantiorem preferendam, n. 68.

Ait, quod si veritas, nec per fidem, nec per rationem constet, abstinendum ab omni utrumque, n. 70.

Ait in legibus positivis de re indifferenti, licet sequi probabilia, n. 71.

Ait usum probabilissimam satis in multis legibus Divinis, n. 72.

Ait quod probabilitati non opponatur nisi certitudo, aut evidentia, n. 74.

In quo consentiam? n. 76.

Congero Antonij de se ipso laudes, & in Probabilistas injurias, n. 77.

Rogo Deum, ut me habeat inter Probabilistas, ibid.

In quo ei dissentiam, à n. 77. ad 84.

Ejus contradictio, n. 78.

Vel non licet probabile in legibus humanis; vel licet in Divinis, n. 79.

Ecclesia dum damnavit tenuem probabilitatem, & asseruit licere probabilissimam, judicat satis certam probabilitatem pro delectu opinionum, n. 80.

Licet sine veniali sequi probabilissimam contra Antonium, à n. 74. ad 84.

Si licet sequi minus extrinsecè probabilem, si sit intrinsecè probabilior, redeunt contra illam argumenta, quæ contra nos armat, n. 82.

Non est facile, quin difficile definire, quæ lex sit preferenda, concurrente duplici, n. 84.

Postquam cap. 27. dixit, regulam generalem esse Dei legem, à fide, aut ratione 67. propositam, ut ea facilius applicetur, tradit de- 68. sequentes regulas.

Prima est, quod ea opinio sequenda sit, N. quam vel ratio, vel Fides judicat esse certo 68. legi Dei conformem; & ei oppositam esse repudiandam.

Secunda, si concurrat duplex lex inter se N. repugnans, præferenda præstantior, & mi- 69. nus malum eligendum.

Tertia, si veritas nec per fidem, nec per N. rationem, etiam postquam summâ diligen- 70. tiâ usi sumus, adæquabilis sit, abstinendum ab utroque.

ab actione, quia non tantum certam legis violationem, sed etiam probabile periculum ejus violandæ vitare tenemur.

N. 71. Quarta est, quod in legibus positivis, quia plerumque sunt de indifferentibus, seu de rebus, remotâ lege, nec bonis, nec malis, liceat sequi probabilia. Monet tamen, non ideo leges Ecclesiæ, & Reipublicæ parvifaciendas. Dein trahit rationes, cur maior adhibenda sit cautio, ne lex Dei, quam ne lex positiva violeatur. Prima, quia, etsi omnis potestas sit à Dei potestate, attamen, dum Deus aliquid jubet, maiorem vim habet ejus præceptum, & maior adest ei obsequendi necessitas. Secunda, quia leges positivæ plerumque sunt de re indifferenti; non ita lex Dei, & naturalis. Tertia, quia non est credendum, Superiores velle, ut eis subiecti æqualem suis legibus, ac Divinis reverentiam habeant, & ad æqualem obligent diligentiam. Quarta, quia Evangelicæ legis suavitas non solum petit, ne multitudo, sed etiam ne gravitate mandatorum opprimantur Fideles. Quinta, quia Ecclesia ipsa expressit, se non ægrè ferre, si maximo cum incommodo suis legibus non obtemperetur: ergo, inquit Antonius, frustra Probabilistæ obijciunt parem esse legum Divinarum, ac humanarum rationem; & vel in utrisque locum habere probabilitatem cum periculo violationis conjunctam, vel in neutris.

N. 72. Quinta, usum probabilissimæ fati, non tantum in legibus humanis, sed etiam in multis Dei legibus; ex. gr. fati, ut probabilissimè judicemus, nos nullius culpæ lethalis confcios, ut ad Eucharistiam sine sacrilegio accedamus.

N. 73. Sexta, si leges videantur inter se pugnant, ea sequenda, quam probabilissimè credimus hic, & nunc graviorem.

N. 74. Septima ait, quod etsi leges oppositæ non concurrant, licitum saltem sit sine peccato gravi sequi probabilissimam, (venialia enim ne vigilantiores quidem Sancti effugiunt) seu talem opinionem, quæ habet grave pro sui veritate, nullum pro sui falsitate argumentum; loquitur autem de probabilissimâ stante pro libertate. Addit, non eo ipso, quod una est probabilis, talem etiam esse oppositam; & quod probabilitati non opponatur, nisi sola certa, & evidens oppositæ opinionis veritas.

N. 75. Octava, quod quando probabilitas est tantum extrinseca à Doctorum autoritate, licitum aliquando sit, minus extrinsecè probabilem, & minus tutam amplecti, dummodo, qui deliberat, assequatur ejus veritatem argumentis intrinsecis.

Tom. III.

Ecce Antonij mens, cui quoad aliqua assentior, non quoad omnia. Assentior 1. quod, si una opinio sit certa, sive ex ratione, sive ex Scripturâ, eam teneam sequi. Secundo, si duæ leges concurrant, & reliqua sint æqualia, præstantiorem præferendam: dico, si sint æqualia, potest enim occurrere, ut urgeat virtus minus præstans: ex. gr. religio obligat ad Missæ auditionem; amor salutis corporalis ad hujus tutelam; religio ex se est præstantior charitate temporalis; & tamen hæc urget, non illa. Tercio, abstinendum esse ab omni actione, quoties nec Fides, nec ratio veritatem licentiæ suadet, quia tunc non adest bona fides. Quarto, leges humanas non obligare cum eo rigore, quo Divine, & naturales, & sæpe differre ratione materiæ. Quinto, quod probabilitas non tollatur nisi ab evidentia, aut certitudine.

At dissentior 1. in hoc, quod dicat, postquam summâ diligentia usi sumus; ut enim quis de eâ certus sit, debet prius scire, quæ sit hic, & nunc summa; cum autem per Antonium quantitas diligentie taxari non possit, multo minus quantitas summe taxari potest. Quare Author, qui regulam pro delectu opinionum postulat, cur non postulat regulam generalem pro quantitate diligentie pro omni casu adhibendæ? Quod si hæc repugnat, & non est, nisi prudentis hic, & nunc viri arbitrium; ita idem arbitrium erit regula pro delectu hujus, aut illius, hic, & nunc opinionis. Dissiteri tamen nequeo, me valde invidere, ni dixerim, compati, docti Authoris confidentiam, cui summæ diligentie iudicium, ut habet cap. 27. adeo facile est; cui propriæ rationes adeo convincentes, ut cap. 9. dicit; cui immunitas in opinando ab omni passione, & quidem in omni sua particulari opinione, adeo ad manus est; cui liquidæ demonstrationes, & omnes propriæ rationes ferè certissimæ, adeo in promptu; cui nostra argumenta adeo sibi, & pluribus ne quidem probabilia sunt, ut ait pag. 341. quod cap. 29. sæpe repetit; cui mirum prorsus est, tum quod viri docti, & sapientes potuerint esse Probabilistæ, ut habet cap. 19. tum si qui ex doctis, & piis Probabilistæ fuerunt, est, quia sententiam benignam mente præjudiciis occupatâ examinarunt; tum quod à Probabilistis negetur necessarius semper pro omni veritate peculiaris ad Deum per orationem recurrit; adeo ut exclamet: *Deus bonè! quod genus Theologia?* ut cap. 2. scribit: cui indignus est, ut inter Dei servos numeretur, qui tueretur nos non teneri ad probabilius, cum agitur de Deo; teneri, cum de homine, ut cap. 4. habet. San è, cum hæc lego, Deum Legislatorem.

Oo

latorem, humilis sapientiæ Authorem enixè deprecor, ut me inter Probabilitas numeret, quibus propria sapientia ita humilis est, ut plurimum sapientie, & Doctorum oppositorum authoritati plerumque in omni particulari opinione deferant; quique parati sunt ab aliis discere, & doceri, nec omnia sua sibi certa putant, nec tantum domi suæ meridiem, alienæ cimmerias tenebras.

N. Dissentior 2. quod concedens, ubi res est de legibus positivis, licitum sequi probabile, hoc fundet suavitatem Evangelicæ legis: equidem lex Evangelica, etsi sit lex positiva, est lex Divina: vel ergo terminus est, quod licitum sit sequi probabile in omni lege positiva; & hoc non, nam negat de lege naturali, & Divinâ: vel sermo unicus est de lege positiva humanâ? & sic lex Evangelica, cum sit Divina, non est ad rem; imò sibi contradicit: si enim licet sequi probabile in lege Evangelicâ, cur non in omni alia Divinâ, & naturali? Quin, quod bene notandum, laxissimum docet, dum hoc docet.

N. Dissentior 3. quia ex eo quod maiori obsequio tenemur colere legem, dum Deus immediatè est Legislator, quàm dum homo; nequitiam necessariò inferitur, quod, ubi res est de legibus positivis humanis, liceat sequi probabile, non ita, ubi de Divinis: etsi enim Legislatores & materia legum differant, quod in uno casu est homo, & materia est indifferens, in alio Deus, & non est, nil inde: totum enim hoc illatum servari potest, etsi vel in utroque casu liceat sequi probabile, vel in neutro: adhuc enim diverso modo lex, & Legislator coli possunt, quo modo differenti cultu Deus, Deipara, & Sancti coluntur. Vel ergo periculum violandi legem obligat, ut sequamur tutius, etiam in legibus humanis; nam etsi tunc non violetur immediatè lex Divina, violatur mediatè, quatenus omnis potestas, & lex humana est à Deo mediatè: imò videtur immediatè violari lex universalis Divina, & naturalis, quæ præcipit Superiori legitimo parere: vel si periculum violandi legem obligat tantum ad tutius, ubi res est de lege naturali, & Divinâ, obligabit quoque, ubi sermo est de lege humanâ, quia, nisi sequar tutius, adest probabile periculum eam violandi materialiter. Similiter amor Dei super omnia, vel obligabit præferre Deum omnibus, dum mediatè jubet per homines: vel non obligabit, dum per se immediatè jubet.

N. Dissentior 4. quod cum dicat pag. 206. Probabilitatem nec universè rejiciendam, & multò minus universè accipiendam, op-

tandum sit, quatenus locum habere possit: ego enim dico, quod cum Ecclesia definierit, satis esse probabilissimam, & ita non esse tenuem probabilitatem; imò cum plures creditas tutiores, & minus tutas, probabiles, & minus probabiles, damnamus, hinc satis colligi videtur, sufficientem deducere regulam, nempe certam probabilitatem, inter summam, & tenuem.

Dissentior 5. quod exponat, licitum sine peccato mortali sequi probabilissimam, non sine veniali. Contra enim est; nam Ecclesia absolute damnat, *Non licet sequi probabilissimam*: ergo ejus contradictoria est, *Licet eam sequi*; si enim non licet sine veniali, absolute non licet.

Quod autem venialia sint etiam à vigiliantissimis vitatu difficilia, non facit, quod in sequela probabilissimæ interveniat veniale, de ut patet. Quin sensus Papæ videtur esse, quod liceat probabilissima absolute, seu etiam sine veniali. Constat hoc ex consideratione alterius damnatæ, de actu conjugij ob solam voluptatem, & quod liceat edere ad satietatem: ut enim ejus contradictoria est, *Non licet*, quia est saltem veniale; ita dum hic damnat, *Non licet probabilissimam*, ejus contradictoria est, *absolute licet*; ergo non tantum sine mortali, sed & sine veniali licet eam sequi. Severus sane est Authoris genius, tam facile asserens peccata, ubi ea patenter absunt, etiam ex absolute Papæ definitione.

Dissentior 6. quod velit licitum sequi minus extrinsecè probabilem, si sit intrinsecè probabilior; non e contra; cum tamen contra licitum usum opinionis minus probabilis extrinsecè redeant argumenta, quæ in nos armar; nam eam sequens exponit se periculo extrinsecè probabiliori, etsi minus intrinsecè probabili, violandi legem, sequendo faventem libertati; & convincitur non amare Deum super omnia; nam opinionem pro libertate, etsi intrinsecè probabilio rem, præfert extrinsecè probabiliori faventi legi. Rursus redit argumentum, tum de impossibilitate sequendi semper probabilio rem, tum de inanitate rationum oppositarum: vel enim terminus est de intrinsecè, etsi non extrinsecè probabiliori; aut e contra? Tunc autem reoccurrit argumentum de probabiliori violatione legis, & quod Deus non ametur super omnia: ergo patet, tum inanis argumenti, quod solvere tenetur, tum impossibilitas sequendi semper probabilis.

Dissentior 7. quod putet concurrenti duplici lege facile definiri quæ sit præferenda: ait enim, quod præstantior. Sed rogo dante

nium, quid faceret casu, quo foemina gravida sit certo moraliter intra horam moritura, & cum ea decessurus quoque foetus sine Baptismo, nisi mater viva secetur? An matrem obligabit, ut se vivam partiri permittat, an non? Si non, contra est; quia aeterna salus infantis prevalet, tum ratione salutis spiritualis, tum ratione aeternitatis beate; vita temporali horarie ipsius matris: ergo mater obliganda est, ut se vivam secari permittat. Si obligabit, contra est; quia durissimum videtur, & ab omni pietate alienum obligare matrem ad tam crudelem laniationem, quâ forsan salus aeterna illius periclitatur. Ecce casus, in quo adest duplex lex charitatis, una temporalis in favorem matris contra spirituales filij vitam; altera spiritualis filij contra temporalem matris vitam. Definiat Antonius, & ante definitionem, se in morituræ mulieris statu consideret. Similiter duplex est circa milites navales opinio, una stans pro charitate spirituali contra temporalem, alia pro temporali contra spirituales: illa obligat, ut milites igne admo- to se, & navim conflagrent, ne navis, & milites fiant Infidelium præda, & hac ditetur; & ne milites vivendo inter Infideles, tot periculis salutis aeternæ expositi, & ab omnibus Christianæ Religionis medijs, & Sacramentis remoti periclitentur. Hæc obligat, ne milites se, & navim incendiant. Quid Antonius consulturus esset, si in eâ navi reperiretur, ignoro: ergo non est adeo facile, concurrente duplici lege, resolvere, quæ sit præferenda, nec semper verum est, quod præstantior, nisi reliqua sint prorsus paria, ut ego addidi.

S E C T I O VII.

Nullitas responsum, quibus satisfacere putat nostris argumentis.

S. I.

Aliqua.

S U M M A R I U M.

Salus aeterna, & moralitas actuum pendet à nostrâ cognitione, & objecto, ut est in illâ; ut finis temporalis ab objecto, ut in re, n. 86. In his, quæ de necessitate medijs sunt, veritas logica, & objectum, ut est in re, est necessarium, ibid. Si omnis lex naturalis, & Divina est clara, cur non edit Summam circa Decalogum? n. 89. ad 95. Theologi aiunt, quod quia res morales ob summam varietatem sunt incerte, ideo vix tradi Tom. III.

possit regula, n. 92. Hoc autem non tantum de moralibus juris humani, sed & Divini intelligendum, ibid. Lex Divina est clara in Decalogo, est clara quoad vitandum peccata formalia, &c. n. 93. Probabilitas non excludit imprudentem timorem, n. 94. Antonius agere fert, quod nos frequenter distinguamus mortale à veniali, n. 96. Rejicio, ibid. Multiplicat in sua doctrinâ implicationes, n. 97. Aut vix esse, qui juxta nostram sententiam vivat, & à certis peccatis abstineat, econtra qui oppositam, n. 99. Quin per legem sequendi tutius, & perfectius homines non deterri a Confessione, ibid. Rejicio, & ostendo, quod si aliqua faverit vitis, magis faverit opposita, quam nostra, ibid. Ostendo perniciosam fore legem, & impossibilem de tutiori, & perfectiori, ibid.

Respondet 1. cap. 28. non esse difficile abstinere ab omni, quod prudenter judicari potest subiectum probabili periculo violandi Dei legem; hoc enim servatur ab omnibus in omni negotiorum genere, ut patet in Militibus, Nautis, Mercatoribus.

Sed contra, tum quia hoc sæpe difficilimum est, ut ostendi duplici adducto casu n. 86. antea, & quoties duo præcepta concurrunt, ut crebro evenit: tum quia evidens est inter spiritualia, & temporalia negotia discrimen; temporalia enim ita pendent à cognitione, ut longè plus pendeant à rebus, ut sunt in se; & ideo, si quis certò putet navim securam, mercaturam subsistentem, victoriam indubiam, cum tamen in re ea media secura non sint, certitudo moralis nil prodest, ne quis naufragio pereat, merces amittat, & victoriam: econtra salus aeterna, & actuum honestas, & meritum præcipue pendent à cognitione, seu ab objecto, ut in mente; & ideo invincibilis error, & summa probabilitas juxta omnes Fideles excusat, immò juxta Tutoristas certitudo moralis, & juxta Probabilioristas probabilitas; ergo etiam probabilitas: tum quia ex hoc, quod finis rerum terrenarum pendeat à medijs, ut in re, non ut in mente, eo ipso homines rectè utuntur medijs, quæ videntur tutiora simul, & probabiliora; immò medijs tutioribus, etsi minus probabilibus: econtra cum aeterna gloria (abstraho ab his, quæ sunt de necessitate medijs; in his enim sola veritas logica, & nulla alia utilis est) pendeat à medijs, ut in mente prudenti, hoc

Oo ij iplo

ipso nulla est necessitas, vel tutioris materialiter; cum plura talia sint damnata; vel probabilioris, quorum plura sæpe etiam damnata sunt; sed satis opinio tuta formaliter seu à peccato formali; talis autem est omnis certò probabilis, aut probabilior.

N. 87. De Charl. Respondet 2. legem naturalem nunc clariùs, nunc minùs clarè percipi, nisi ejus lux culpà nostrà obfuretur, nam *præceptum Domini lucidum*, ait David *Psal.* 18. quòd si aliquando est obscurum, Deus orandus, qui non negabit cognitionem necessariam ad vitanda peccata, & eorum pericula. Subdit, penuriam cognitionis à nobis non tribui difficultati, aut impossibilitati, sed incommodis; hæc autem cum certis etiam Dei præceptis insint, nò est, cur ob hæc deobligentur fideles à tutiori, & probabiliori; præsertim cum lex naturalis non sit gravis nature sanæ, aut per gratiam sanata, sed tantum per culpam depravatam, & ideo monemur intrare per portam angustam. Neque hinc scrupuli, tum quia sæpe quod est libertati, & naturæ depravatæ oppositum, dicitur scrupulus, cum tamen scrupulus non sit, nisi timor vanus peccati, ubi nullum est: tum quia scrupuli sequendo tutiorem tolluntur; tum quia sine scrupulo fieri non potest id, quod prudenter judicari potest peccatum; tum quia præferens suam libertatem Dei legi, quam probabilius putat non violandam, non præfert Deum suæ libertati, quia potest probabiliter judicare legem esse violandam.

N. 88. Sed contra 1. quia, cur Antonius, cui omnis lex Divina, & naturalis est clara, non edit casuum Summam circa dubia ad Decalogum pertinentia? Cur vel circa eadem præcepta tantum sibi oppositi Theologi, & SS. Patres, ut dixi *disp.* 5. *sect.* 4. Cui, si præcepta Dei adeo lucida, dixit Joannes *cap.* 1. quod Baptista venit, ut testimonium perhiberet de lumine; ergo lumen ipsum sæpe eget testimonio, seu declaratione? Immo, si lex Dei adeo clara, definiat mihi in utroque casu allato n. 543. quæ opinio sit sibi moraliter certa.

N. 89. Contra 2. quia Antonius nimia facilitate, & quidem contra oculos testes sæpe definit, dum ait nullum Antiquum stare pro nostris; nullum Probabilistam doctum, & pium absque animo præoccupato sententiam benignam examinasse; nullos Sanctos circa res naturales invicem contrarios; nos ob solum incommodum à sequelâ tutioris, & probabilioris deobligare. Sanè hæc gratis dicuntur; cum nos passim probemus ex unâ parte, impossibile sæpe judicium de probabilitate, immò de tutioritate, quoties stamus inter

duo præcepta, ut patet ex n. 543. & ex iudice, qui jacet inter præceptum charitatis obligantis, ne damnet innocentem; & iustitiae obligantis, ut damnet probatum reum: ex altera parte probamus gravia sequi incommoda, quibus neminem subdere debemus, nisi constet ea esse digerenda, ut constat, quoties præceptum est certum.

Contra 3. quia et si operando perfectius tollatur scrupulus de obligatione, nemo tamen pro regulâ tollendi scrupulos dabit legem obligantem operati perfectius, nam daret errorem pro regulâ, seu non legem pro lege. Nego autem quòd id, quod possum prudenter judicare esse peccatum, sit peccatum, si prudenter judicem non esse. Nego etiam, quòd sequens minùs tutam certò probabilem præferat vitiosè suum commodum, & libertatem Deo, immò Deo permittenti, & non vetanti obsequitur.

Respondet 3. res morales ob summam varietatem esse plerumque incertas, & ideo certas omnino de illis regulas tradi possent. N. 90. 91. gant Philosophi, & T. T. at ea varietas, inquit, non est in regulis juris Divini, aut naturalis, quæ certa, & immutabilia sunt, sed in mentibus hominum: nam Deus satis clare viam salutis monstravit; & licet facile fuisset suæ legis terminos apertè indicare, ut nullum superesset dubium, voluit tamen, ut in ejus lege meditaremur die ac nocte, & ejus sensum orâdo inveniremus, ut eo maius præmium assequeremur, quò maiori labore partum. Sanè probabilitas omnem excutit timorem, si enim ea satis est, ut quis tutus sit à peccato formali, cur Sancti sua opera veriti sunt? Concludit cum Divo Augustino, quòd ideo Deus nos celavit limites suæ legis, ut in virtute proficeremus.

Sed contra 1. quia sibi contradicit: vel enim sustinet, quod Theologi dicunt, nempe res morales ob maximam varietatem esse plerumque incertas, & ideo nullam prorsus certam regulam tradi posse, vel non? Si sustinet, eo ipso Theologi dicunt, quod nos; quomodo ergo dicit nullum Antiquum stare pro nobis, & omnem pro se? Rursum cur limitat eorum dictum ad res morales juris humani, non autem naturalis, & Divini, cum Theologi universaliter loquantur, immò magis de his, quàm de illo? nam plerique casus morales spectant ad virtutes morales naturales, aut supernaturales. Si non sustinet, det regulam.

Contra 2. quia ex hoc, quòd Deus salutis viam clarè ostenderit, non fit omnia esse clara, alias nulla inter Sanctos & T. T. contradiçtio: quare via salutis clara est, tum quod omnia

omnia, quæ sunt de necessitate medijs, itum quoad plura, quæ de necessitate præcepti; nam Decalogi præcepta plana sunt: at quoad ea, quæ obicula sunt, adhuc salutis via est clara, quoad præceptum generale parendi, & standi viris pijs, & doctis; nam homines hominibus opposita opinantibus subiecti sunt: certum enim est non peccare formaliter, qui sequitur piorum æquæ, ac Doctorum cõsilia. Demum lex Dei clara est quoad vitandum peccatum formale; adfunt enim regulæ, quibus vitetur, non quoad omne materiale, cum nec necessarium semper sit, nec possibile, ut ubique vitetur.

N. 94. Contra 3. quia si lex Dei est clara quoad omnia post orationem, sequitur, quod media pars Sanctorum contradicentium non oraverit: similiter sequitur, quod solus Antonius oraverit, non Probabiliste, quia in oppositam doctrinam, & regulam abiierunt.

Contra 4. quia certa probabilitas non tollit imprudentem saltem timorem; vereri enim quis potest, ne sit certa: deinde vel sermo est de prudenti, vel de imprudenti timore? Non de prudenti; quia repugnat, ut Sancti operarentur, & simul prudenter vererentur opera sua; peccassent enim operando cum prudenti formidine peccati. Si de imprudenti; hic timor locum habet cum nostris principijs, nam imprudenter timere possumus, ne opinio sit certo probabilis, & multo magis, ne sit vera.

N. 95. Contra 5. quia si Deus non clarè suæ legis terminos designavit, cur dicit Dei legem post orationem esse claram? Rursus si non clarè designavit, eo ipso dubium est, an datur lex. Si dubium; quomodo Author ita nos obligare vult ad legem dubiè existentem, ac si esset clara? Neque verò à nobis studium orandi, aut perfectius operandi excluditur, quin per Antonium; si enim datur lex de operando perfectius, quidquid operaturus sum, erit sub lege, nihil sub consilio; & per nos erit sub consilio. Hinc patet, quod D. Augustinus pro nobis stet.

N. 96. De Charl. S. Aug. Demum, quia Author pag. 218. agrè fert, quod nos frequenter distinguamus peccatum mortale à veniali, eo quia D. Augustinus non faciliè in qualibet re definiebat, quid esset sub præcepto, quid sub consilio, placet mihi rogare Authorem, cur agrè ferre possit, ubi haberi potest, id, quod pro Fidei salute est prorsus necessarium: etenim nemo est, qui ignoret, mortalia à venialibus distinguenda: ergo necesse est non tantum idiotis, sed multo magis Theologis, ut sciant, saltem regulariter, quæ sint mortalia, quæ venialia. Rogo, an melius sit sub magna confusione relinquere conscientias Fidelium, nil de mortali, aut de veniali determinando? Rogo, cur Author definiat esse mortale sequi minus tutam minus probabilem? Cur petat regulam pro delectu opinionum, quæ posita sciatur quando in illam peccetur? Cur Deus præcepta clara dederit, statuendo hoc esse sub consilio, hoc sub præcepto? Cur hortetur, ut adeamus iuxta orationem Deum pro ejus lege sciendâ, seu pro sciendo, quid sit mortale, quid veniale? Cur Pontifices probabiles ab improbabilibus seceverint, excommunicando docentes damnatas?

Sanè Antonius ex nimio zelo multiplicat in suâ doctrinâ implicationes: nunc enim omnibus obscura (nempe Dei legis apices) vult esse clara; nunc à Theologis declarata mortale, aut veniale, ambit esse obscura: & quod captu difficile est, conatur, tum nos ad meliora reducere per ignorantiam eorum, quæ sunt de consilio, & quæ de præcepto; tum ab ignorantia remove, docendo omnem ignorantiam esse saltem venialiter culpabilem, etiam dum circa legis naturalis apices versatur. Ego verò cum omnibus Theologis, tam Scholasticis, quam Mysticis, hortandos puto ad meliora Fideles, discernendo, ubi fieri potest, quæ sunt sub præcepto, ab his, quæ sub consilio; quæ sunt mortalia, quæ venialia, quæ neutrum, juxta Divæ Thelesiæ monitum, & votum.

Respondet 4. cap. 29. quod homines per legem sequendi tutius, & perfectius non de-
N. 98. De Charl. terreantur à confessione; quin etsi deterrentur, minus malum foret, quam perpetuis sacrilegijs eam violare. Hinc constat experientia, quod postquam in multis Diocesisibus vivunt Fideles juxta datam regulam, perfectius vivant: econtra quotuscumque est, qui vivat juxta nostram sententiam, & certis criminibus abstineat? Perfectionum, immò bonorum parvus semper numerus fuit; sed maximè inter eos, qui Probabilistarum placitis, quàm qui veris, quoad fieri potest, tutisque ducuntur. Subdit Probabilistarum indulgentia Fideles reddi suis in vitijs obstinatiores; etsi enim gravandi non sint oneribus, quæ portare nequeunt, & ideo veritas, & lex diligenter scrutanda; attamen, experientia teste, verendum magis, ne homines commodiora sectantes incidunt in Medicos, de quibus S. Cyprianus dixit, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectant.

Sed contra 1. quia hæc non sunt nisi verba phalerata, & ad Rhetoricæ amussim con-

N. 99. Oo iij cinnata.

cinnata. Distinguere oportet obligationem operandi juxta tutius, & probabilius, à non obligatione. Fateor perfectius operaturum sequentem tutius, & probabilius, quatenus contra libertatem, & commodum operabitur, quam sequentem minus tutum, minus probabilis. At hoc est extra rem, non enim de hoc est quæstio, sed quæstio, an detur obligatio, seu lex ita operandi. Hucusque Author eam legem non probavit: imò eam legem operandi semper tutius probabilius repugnare ostendimus, non tantum quia, ut ipse P. Elizalde ait, si ea daretur, teneremur ad Judaïsimum, sed etiam quia, sicut hætenus plures tutiores probabiliores damnate sunt, ita plures ex illis in posterum damnabiles. Addo, tum quòd ea lex respectu omnium Fidelium esset perniciofa, quia nimium coarctans libertatem, & commodum; tum quòd nec tutius, nec probabilius sit necessariò connexum cum vero. Nego autem Probabilisimum favere vitijs, quin potius Anti-Probabilisimus, si alteruter favet. Nam Probabiliorisimus reddit hominem in suo judicio pertinacem, quo nullum inter omnia vitia magis verendum; compertum enim est, quòd quoties vitia foli voluntati inhaerent, magna spes emendationis affulgeat: at quoties ad mentem transeunt, inemendabilia fiunt: cum ergo, quod lucro, libertati, commodo favet, possit sæpe videri probabilius, si datur lex sequendi probabilis, ea vitia incorrigibilia evadent; ergo si alteruter favet vitijs, est potius Probabiliorisimus. Idem dico de Tutorismo, etsi enim libertatem, & commodum restringat, attamen cum plura inter hæc sint licita, hoc ipso quòd detur lex de sequenda semper tutiori, restringetur quoad plura licita libertas, eaque lex erit occasio plurium peccatorum, vetando plura ex se licita: ergo si quod ex Tutorismo, aut non Tutorismo favet vitijs, immò plura peccata trahit, ubi non dantur, est Tutorisimus. Accedit, quòd cum, juxta Antonium, liceat minus tuta, si sit moraliter certa, facilis erit Tutorista ea certitudo moralis de opinione stante pro lucro, & libertate: ergo vel non licet Anti-Probabilisimus, vel licet Probabilisimus.

§. II.

Alie.

SUMMARIUM.

Ait paucos esse Probabilistas, & accessere ut aves, & oves, n. 100.
Nostra Antiqua, n. 100.

Casuum Summa ante ducentos annos adert, n. 102.

Ait Antiquos concessisse usum minus probabilis tutoris, n. 103.

Ex hoc ipso sequitur, quòd probabilitati minus inest securitas à peccato formali; nam tutioritas reddit securam à materiali, n. 104, 105.

Ejus contradictio, n. 108.

Quanta in Antonio de sua opinione presidia, n. 109.

Injuria in Probabilistas, ibid.

Sancti inter se discordes in materia juris naturæ, n. 110.

Contradictio, n. 111.

Respondet 5. paucos esse Probabilistas N. defensores; nemo enim per sexdecim 100. fere sæcula, cujus doctrinam, aut sanctionem Ecclesia veneratur, nostræ sententiæ fuit; quin nostra sententia nec absolute probabilis dici potest, cum non consentiat Scripturæ, Traditioni, Concilijs, & Pontificibus; & si qui errasse dicendi sunt, dicendum potius errasse Probabilistas tradendo regulam Antiquis ignotam, quam Antiquos, qui securitatem, vel tacite, vel expresse à Probabilitate eliminarunt. Quod si plures Moderni Probabilitati accesserunt, est, tum quia plures ut aves, & oves aliorum ductum sine examine sequuntur; tum quia illam à suis Magistris hauserunt, auctoritate potius, quam ratione propagatam; tum quia sub specie benignitatis, quam pietas comitari solet, induxerunt. Demum Probabilistarum auctoritatem infringit contradicentium hoc tempore auctoritas, præter Antiquos, apud quos per tot sæcula vix legere sunt Theologos Casuistas, quia per legem sequendi tutius probabilis, casuum Summa non videbatur necessari e.

Sed contra 1. Opponat, si potest, tot ex N. Modernis Adversarios eà magnitudinis doctrinæ, & dignitatis prærogativa conspicuos, quot pro nostrâ dedimus. Immo quotquot ex Galliâ Episcopos citat, contra me non militant, sed contra tenuem, laxam, & male fundatam probabilitatem, & opiniones particulares, quarum plures negamus probabiles, quin volumus certo falsas. Hoc scio, quòd certam opinionis probabilitatem satis esse, ne unus quidem, ex citatis sb Authore Episcopis, rejiciat. Rursus scio, tantum non Episcopos, sed Theologos in totâ Hispaniâ stare pro Probabiliorismo: quin cum Antonius sit rigidus Tutorista, negat enim licitum usum minus tuta, etsi probabilioris, si tutior sit probabilis, eo ipso contra se habet omnes tum Probabilistas.

listas, tum Probabilioritas, & solum pro se habet Certitudinitas, qui paucissimi sunt.

N. 102. P. Possevin. *Contra 2.* quia dum ait, quod forte in Ecclesia nulli per sexdecim secula Casuistae fuerint, rem dicit aperte falsam; nam, ut alias notavi ex P. Possevino, innumerae casuum Summae ante ducentos annos numerabantur: tum quia si ea lex de tutiori probabili data fuisset, sublatum fuisset omne studium Theologiae Moralis. Dicere autem per eam legem increscere potius studium videndi, quae sit probabilior, est dicere contradictionem: nam ex una parte infert, ob talem legem nullam ferre apud Antiquos Summam extitisse; ex alia docet eam lege studium augeri; si autem augetur hoc saeculo studium, cur non apud Antiquos? quod si apud Antiquos minuebatur, quia cum ea lex clara esset, necesse tunc non erant Summae, cur non apud Modernos? Demum quia idem Antonius negat licitum sequi minus tutam probabiliorum, sed solum moraliter certam; at ubinam haec tam obvia pro qualibet particulari opinione certitudo moralis? Cum ergo haec, nisi nostro iudicio adulari velimus, difficilis sit, consequenter Theologiae Moralis studium per legem sequendi tutius, nisi sit moraliter certum, fiet non tantum inutile, sed impossibile.

N. 103. *Contra 3.* quia cum nullus sit Antiquus, qui non sit aliquando secutus minus tutam saltem sibi probabiliorum; & nullus veteris usum tutioris minus probabilis, eo ipso nec maiorem, nec minorem probabilitatem eliminarunt: immo cum omnes Antiqui probabilioritatem minus tutae sint sepe secuti, & iidem non negant licitum sequi tutiorem minus probabilem, hoc ipso securitatem a peccato formali dederunt tum maiori, tum minori probabilitati: maiori, sequendo minus tutas sibi probabiles: minori, non verando usum tutioris minus probabilis: ergo ex Antiquis vix ullus est pro Antonio.

N. 104. *Dices*, Antiquos concessisse usum minus probabilis, tutioris tamen, non minus tute, ut nos.

Sed contra 1. quia res mihi modo est cum Antonio, qui non tantum obligat ad tutius probabilem, sed etiam ad tutius minus probabile: ergo cum ego ostenderim, nullum Antiquum esse, qui non sit secutus aliquando minus tutam, recte impugno.

N. 105. *Contra 2.* quia hoc ipso, quod ostendo, licitum juxta Antiquos, & Antonium sequi tutius minus probabile, (cum allato tamen discrimine, quod Antiqui permittunt, Antonius obligat ad tutius minus probabile) hoc ipso ostendo minori probabilitati inesse,

juxta Antiquos, & Antonium, securitatem a peccato formali, nam tutioritas reddit securum a peccato materiali, non a formali, ex genere suo: si enim tutioritas ex se redderet securum a peccato formali, saltem contra veritatem, nulla tutior damnari potuisset ut formaliter haeretica, & scandalosa; nec ulla minus tuta, etsi probabilior, esset securum a peccato formali: sed plures tutiores damnatae fuere, ut formaliter scandalosae, & plures minus tute declaratae formaliter licitae: ergo nec tutioritas liberat a peccato formali, nec minor securitas reddit subiectum peccato formali.

Cum ergo minor probabilitas unita tutioritati liberet a peccato formali, non ratione tutioritatis, quae ad summum tollit peccatum materiale, non formale, sed ratione probabilitatis, etsi minoris; hoc ipso quod Antiqui docuerint, licitum sequi tutiorem minus probabilem, hoc ipso docuerunt minori probabilitati inesse vim assecurandi a peccato formali: ergo cum in minus tuta minus probabili, licet adsit minor securitas a peccato materiali, quia est minus tuta; adsit tamen simul securitas a peccato formali, ratione minoris probabilitatis, infertur clarè, Antiquos concessisse, non solum usum tutioris minus probabilis, sed etiam minus tute minus probabilis. Confirmo: Si sola tutioritas tolleretur peccatum formale, nulla minus tuta, etsi probabilior, liceret: similiter, si sola probabilioritas tolleretur peccatum formale, nulla minus probabilis, etsi tutior, liceret; sed per Antiquos licet, tum minus tuta probabilior, tum tutior minus probabilis: ergo nec sola tutioritas, nec sola probabilioritas excludit peccatum formale, quin ipsa quoque minor probabilitas, & minor securitas illud etiam excludunt. Addo me ostendisse *disp. 11. sect. 1. & disp. 14. sect. 3. & 4.* nullum Antiquum fuisse Anti-Probabilistam, sed vel Anti-Probabilioristam, nempe Tutioristam; vel Anti-Tutioristam, nempe Probabilioristam, qui negabant obligationem sequendi tutius minus probabile. Similiter ostendi falsum, quod Probabilistae Moderni sint laxius opinati, quam Antiqui. *Vid. disp. 11. sect. 7. §. 1.*

Respondet 6. post commisseratam Proba- N. bilistarum sortem, qui autoritate praec- 107. cupati potius, quam ex profundo questio- De nis studio sententiam benignam secuti sunt; Charl. responder, inquam, *cap. 30.* quod aliqui Sancti secuti sint opiniones probabiles falsas, immo haereticas, putatas veras; nullus tamen censuit, aut egit juxta opinionem, in qua probabile periculum violandi legem cognos-

cognoscebat. secundò, quòd nullus violationem legis naturalis excusaret per invincibilitatem ignorantiae, aut opinionis probabilitatem. Tertiò, quòd Sancti inter se dissentientes utrique certabant pro lege: ita S. Thomas docens Judicem damnare debere, quem scit innocentem, si ex probatis convincatur reus, certabat pro lege justitiae; e contra negantes esse damnandum, certabat pro lege charitatis. Quarto falsum esse, quòd SS. Thomas, & Bonaventura sint invicem contrarii in questione, an statim post mortale sit confitendum. Concludit nullum Sanctum docuisse licitum sequi minus tutam, nisi absit omne probabile periculum violandi legem, seu nisi sit moraliter certa.

N. Sed contra 1. quia sibi contradicit; nam
108. *cap. 30. pag. 231.* ait Sanctos opiniones in re falsas secutos, quia habebant pro certis; & tamen *pag. 233.* dicit, eos ea fuisse modestia, ut etiam opiniones, quas certas putabant, plerumque cum aliqua formula dubitationem significante traderent, ex. gr. *ut videtur salvo meliori iudicio: & pag. 235.* ait, Sanctos non praesidenter suam sententiam tamquam certam regulam tradidisse, sed mentem suam exposuisse ad veritatis clarioris intelligentiam, ut qui judicare voluerint, in vero investigando juventur. Ecce, si Sancti suas minus tutas pro certis habebant, qualiter dicit, quòd id, quod pro certo habebant, significabant cum aliqua formula dubitationis? Dicit ratione modestiae: at numquid modestia docet obscurare per verba dubitationis certitudinem, & veritatem per terminos oppositos? Quod docet modestia est, non facile putare propria certa, & bene sentire de alienis opinionibus: ergo eo ipso quòd Sancti fuere eximie modesti, & multò magis per hoc, quòd suas opiniones cum aliqua dubitationis forma proposuerint, non putarunt suas minus tutas opiniones fuisse sibi moraliter certas, & omnes alienas fuisse sibi certo falsas.

N. Accedit, quòd si Sancti suam sententiam
109. non praesidenter tamquam certam regulam
De tradidere, cur Antonius suam de delectu
Charl. opinionum tam praesidenter tradit? An non praesidentia est dicere suas rationes esse demonstrativas, convincentes, & per se notas; & ferè omnia sua in nos argumenta esse sibi certissima? ita enim *cap. 6. 7. 8. 9. 19.* loquitur. An non praesidentia tam frequens admiratio, immò commiseratio? nam, aliis omis-
sis, ait *cap. 4.* se mirari, non esse omnibus certissimum, ut sibi est, non posse hominem sequi minus tutam spectantem ad legem aeternam, & naturalem: & *cap. 6.* ideo aliquos

doctos, & pios sententiam benignam secutos, quia mente non praecoccupata non examinarunt: & *cap. 19.* ait: Mirum mihi visum, quòd viri docti, & sapientes veritati tam luculentae (nempe quod non liceat minus tutae minus probabilis) non tantum non cesserint, statim ac illustrata, & limata fuit, sed etiam nunc repugnare non desinunt: & *cap. 29.* quaerit, quotus sit, qui nostram sequatur, & a certis peccatis abstinat: & *cap. 30.* ait: Misere me virorum ceterorum gravium, cum eos video aliquando in lententis, aut certo falsis, aut plerumque dubijs ita fixos, ut veritatem se defendere jurerent; & quod miserabilius est, omnes in alijs hoc vitium notamus; in se ferè nemo. An non praesidentia nostram sententiam dicere ne quidem sibi probabilem? Trahit, si potest, vel unum ex Sanctis, qui de aliqua propria controversia sententia adeo praesidenter loquatur; & de sibi opposita parum honorifice, & haec combinet cum moderatione, quam in Praefatione proposuit.

Contra 2. quia Sanctos inter se in pluribus materijs juris naturalis, & Divini diff-
cordes fuisse alibi ostendi; nec non vix aliquem fuisse, qui aliquando minus tutam non sit secutus, adductis pluribus Divi Thomae opinionibus. Vel ergo ea minus tuta fuit semper moraliter certa; hoc autem non sapit Sanctorum modestiam, de omni sua minus tuta eminenter, de opposita adeo abjectè sentire, ut cuique propriae certitudinem, & cuique oppositae improbabilitatem dicerent; rursus nec sapit eorum loquendi modum, nam saepe utuntur verbis dubitationis experimentibus: vel non fuit illis moraliter certa? & tunc secuti sunt minus tutam tantum, ut sibi probabiliorum, adeoque cum probabili periculo violandi legem: ergo ex hac Sanctorum praxi inferitur, licitum sequi minus tutam cum probabili periculo violandi materialiter legem. Accedit, quòd, si Sancti in materia fidei incerta discordarunt, ut patet ex Theologia Scholastica, & Expositiva, in qua tot sunt opiniones oppositae, & quaelibet habet pro se plures Sanctos, cur non potuerunt discordare in iure naturali, praesertim cum ipse Antonius *pag. 227. cap. 29.* in nos arguat ex materia fidei? Cum ergo discordes fuerint, alterutri tam fidei, quam morum veritatem invincibiliter, ignorarunt; nisi dicere velimus quòd qui errarunt, culpabiliter venialiter errarunt, ut innuit Antonius *cap. 30.* Hoc autem, me Iudice, & minus pie sentire de Sanctis, tribuendo culpas veniales omnibus, qui errarunt; & hoc quidem ex puro
libro.

libito, præcisè quia vult nullam dari juris naturæ invincibilem ignorantiam, fatius sanè esset eam tueri quoad legis naturæ conclusiones remotas, & apices, non tantum, ut magis piè sentiremus de mediâ parte Doctorum Ecclesiæ contradicente, & errante, excusando eorum errorem à culpâ veniali; sed etiam, ne eluderemus decretum Pontificum docentium, quod invincibilis ignorantia juris naturæ excuset à peccato formalis; si autem omnis talis ignorantia est venialiter vincibilis, eo ipso non excusat à culpâ veniali opus sub eâ positum; immò si ignorantia juris naturæ invincibilis repugnat, eo ipso decretum nititur chimæræ.

N. Contra 3. quia iterum sibi contradicit: Si enim omni Sæcto omnis minus tuta fuit moraliter certa, qualiter ea ignorantia non fuit illi invincibilis? qualiter eam exequens opinionem poterat à culpâ excusari? vel enim excusabatur ab omni etiam culpâ veniali, vel non? Si non, absolum prius est multiplicare in omni Sæcto, & omni individuo Scholæ Catholice contradicentis ad invicem, culpas veniales: si ab omni; ergo ea ignorantia juris naturæ fuit prorsus invincibilis; alias non excusasset opus ab omni veniali: ergo Sæcti per ignorantiam invincibilitatem, aut opinionis probabilitatem excusati fuere à peccato, dum minus tutas, vel ut sibi moraliter certas, vel ut probabiliores secuti sunt.

N. Omitto examinare, num S. Thom. & Bonaventura opponantur quoad dubium, an lapsus in mortale teneatur statim confiteri: nam parum refert, an in hoc opponantur, cum tam illi, quam alii Sæcti in materiâ fidei, & morum incertâ sæpe opponantur. Hoc scio, quod eos inter se opponi asserit Divus Antoninus.

S E C T I O VIII.

Conclusio Antonij, seu potius Peroratio.

S U M M A R I U M.

Ait Deum hoc sæculo passum, ut lex sua parvi estimaretur, n. 113.
Ostendo oppositum, n. 114.
Nemo approbat abusum probabilitatis, n. 115.
Nulla laxitas in nostrâ sententiâ, ibid.
Ostendo per doctrinam antiquam, intelligentiam nostram, n. 117. 118.
Ostendo easdem laxitates datâ lege sequendi solum moraliter certum, n. 119. 120.
Vocat nos ad Dei Tribunal, n. 121.
In ordine ad praxim vix utilis hæc, aut illâ sententiâ generalis de licito, aut illicito uso, n. 122. ad 132.

Ait nostrum argumentum sophisma, n. 129.

Rejicio, ibid.

Rogo ut de nobis melius sentiat, n. 131. 132.

Ait 1. magnam concipere spem, ut Dei bonitas, quæ hoc sæculo passa est, ut ipsius lex, quæ est veritas, tam parvi æstimaretur, ut non tantum in pari, sed & in priori causâ postponeretur à multis, inductâ doctrinâ tueri, licitum inter duas opiniones eligere stantem pro libertate, etsi minus probabilem, omisâ stante pro suâ lege, etsi probabiliori; sperat, inquit, fore ut Dei bonitas veritatem circa suam legem in antiquâ possessione tantò validius confirmet, quanto vehementius fuit exagitata.

Sed contra, tum quia nec omnis tutior, etsi probabilior, stat pro veritate, ut est in re, nam plures ex illis damnatæ, ut falsæ; nec omnis minus tuta minus probabilis suis Adversariis stat contra veritatem, nam plures ex illis approbatæ, ut veræ: ergo spes Antonij vana, & ejus querelæ inanes. Nemo sequens minus tutam minus probabilem putat se sequi falsum, quin se sequi verum, etsi minus, quàm oppositum; nec enim veritas logica est necessariò desponsata probabilitati, aut tutiori, quin utraque est æquè indifferens ad falsum in re, ac minor securitas, & minor probabilitas.

Ait 2. plures Parochos, & Episcopos conqueri de probabilitatis abusu; quin Pontifices significarunt antiquam doctrinam salutis animarum necessariam; & sacra Congregatio probavit consilium, & protegendum omnem, qui pro antiquâ doctrinâ pugnaret. Tandem plures Probabilitatis rami à sanctâ Sede damnati; & multi, pii, & docti olim Probabilistæ, suam sententiam mutarunt.

Sed contra, tum quia nemo nostrum approbat probabilitatis abusum, quin rejicit, & quod inest abusu, non est à probabilitate, sicut nec à probabilitate, aut tutioritate, sed à Probabilitatē, aut Probabilioritā dante probabilitatem opinionem improbabili; & à Tutioritā asserente obligationem sequendialiquam, cum nulla sit: quo modo abusus non est in Sacramento, sed in suscipiente; non est in Logica, sed in Logico eā abutēte: tum quia nulla est in ullâ regulâ laxitas, ut sæpe innui, si sit sequenda ex præcepto tutior probabilior, omisâ minus tutâ minus probabili; si inter non æquè tutas sequenda sit ex præcepto tutior, etsi minus probabilis, omisâ minus tuta, etsi probabiliori; si licitum sit ex non æquè tutis sequi minus tutam, dummodo clarè probabiliorem; si

sive

sive licita etiam sit minus tuta minus probabilis: nulla, inquam, in his regulis generalibus laxitas; tota in opinionibus particularibus, quarum plures, five tutiores probabiles, five tutiores minus probabiles; five minus tuta probabiles, five minus tuta minus probabiles, sunt in re falsæ, & scandalosæ; & ideo Pontifices solas particulares opiniones, nullam earum regulam generalem damnarunt.

N. 117. Quod ait antiquam doctrinam à Sanctâ Sede declaratam necessariam, & ejus Fautores protectos: quæro, quid intelligat per doctrinam antiquam? an regulam stantem pro tutiori probabiliori contra minus tutam minus probabilem? & hoc non, quia nullus ex Antiquis est, qui aliquando secutus non sit minus tutam; & plurimæ tutiores suis Patronis probabiles, aut moraliter certæ, damnatæ fuerunt: ergo nulla fuit in Dei Ecclesiâ regula obligans semper sequi tutius probabile; nam nulla talis opinio damnable fuisse. Idem dico de alijs regulis; nulla enim datur obligans vel ad tutius minus probabile præ minus tuto probabili; vel ad minus tutum probabile præ tutiori minus probabili; vel obligans non sequi minus tutam minus probabilem, aut sequi minus tutam minus probabilem: nulla, inquam, talis regula fuit, vel esse potuit in Dei Ecclesiâ.

N. 118. Quare antiqua doctrina est, licitum sequi tutiorem certò probabiliorem, aut tutiorem certò minus probabilem, aut minus tutam certò probabiliorem; immò certò, etsi minus, probabilem. Rursus antiqua doctrina est, quærendam summo studio veritatem, quæ si post illud sit hinc inde incerta, ponderandam opinionum particularium æquali studio probabilitatem; ab his enim, non à regulis generalibus corruptela morum derivatur; nec danda opinioni certa probabilitas, quæ nullam habet; nec aliquid dicendum probabile, quia est impressum; nec satis tenuem probabilitatem, nec à speculativâ ad practicam probabilitatem transcundum; nec dari in omni materiâ opiniones certò probabiles practicæ. Hæc enim aliqui ex Theologis non ponderantes dixerunt, plures opiniones particulares certò probabiles, cum non sint; dixerunt licere in omni materiâ probabilem, aut probabiliorem, non addendo, quòd in hac, aut illâ non detur probabilitas practica: & hoc in causâ est, tum quòd aliqui à nostrâ doctrinâ recesserint; tum quòd eam impugnarint, putantes laxitatem à nostrâ regulâ oriri; & non considerando oriri ab opinionibus particularibus.

Sanè fingamus dari legem sequendi tutius probabilius; aut licentiam minus tuta moraliter certè: doceat quis, ut sibi moraliter certam, aliquam ex damnatis, five tutioribus, five minus tutis: ecce in hoc casu eadem omnino laxitas, & corruptela: num ea regula in causâ erit? Non utique, alia ea damnanda erit: quæ ergo cautâ? Non alia sanè, quàm opinio particularis, vitæ et Tutioritæ, aut Probabilioritæ tutior probabilior, aut minus tuta moraliter certâ: idem nobis evenit: Accusantur Probabilistæ ut laxi, ut liberi, & uno verbo, ut licentiosi, eò quia aliqui eorum aliquas licentiosas docuere: ecce in culpâ est, non regula generalis de licito uti minus tuta, minus, certò tamen, probabilis practicæ; sed in culpâ est Probabilistæ, qui eam minus tutam dicit certò probabilem, cum talis non esset.

Ait 3. pag. 341. fundamenta nostra funditus everla, ita ut plerique nec probabilia sint, quin nec nobis, nisi fortè de industria De mentis oculos à veritate lucente avertamus. Sed hoc gratis dicitur, & nimis præsumptè, sique oblitus videtur, dum in præfatione dicat, se tantâ moderatione usum, ut aliqui fortè judicaturi sint, se veritati aliquam injuriam fecisse. Si enim dicere, nostra fundamenta esse plerisque non probabilia, quin & nobis, nisi fortè de industria à clara veritate oculos avertamus, est uti moderatione: ignoro, quid sit immoderatus; quid non videatur Tutoritatis contra Probabilistam moderatum.

Prætereo alia eadem moderatione digesta; N. nempe nos molestè ferre, quòd alij tuerentur sententiam oppositam, quasi veritatis defensor esset nobis injuriola; & monet nos ut Dei Tribunal consideremus. Subdit nos uti dolis statum quæstionis mutantibus, & fingere, tutum cuique conscientiam sibi formare, spretis aliorum sententijs, cum tamen ipse doceat, cavendum, ne sui ipsius amor inclinet ad opinionem sibi commodam temerè suscipiendam. Hæc, & alia prætereo.

Unum est à me hæcenus impenitè delibendum, quòd inter tot Modernos, quos Antonius pro se stare dicit, ne unus quidem Theologiam moralem ediderit. Toti sunt in regulâ generali, à quâ morum integritatem, aut corruptelam pendere dicunt, cum tamen, ut palam feci, in ordine ad proximum vix utilis sit, sed solæ opiniones particulares, à quibus pendet. Edat ergo Antonius, aut alius ejusdem sententiæ Doctor, & quidem circa Decalogum, præmissâ eâ meditatione, & animi ab omni passione purgati diligentia, cum, juxta mentem Antonij, jus naturale,

rale, viro orationi, & mortificationi assue-
to, ne quidem quoad remotissimos apices ig-
notum esse possit; edat, inquam, Theolo-
giam moralem, & hoc beneficio totum ge-
nus humanum, tam Doctorum, quam idio-
tarum, sibi demereatur, docendo, quid in
omni precepto, circa quod classica est utrim-
que Theologorum sententia, sit sequen-
dum, quidve fugiendum. Audeo dicere,
quod ejus Theologiæ Moralis Author in
praxi opinionum particularium aliquas ex
non tutioribus fortè electurus sit, non mi-
nus, ac plures Antiqui, quos ferè omnes,
ait Antonius pag. 245. vult pro suâ regulâ
stetisse. Immo audeo dicere, fore ut aliquas
faventes libertati, commodo, aut lucro ap-
probaturus sit, quas alij fortè censurâ ali-
quâ reprobabunt. Cur non? Non enim Au-
thor ille infallibilis est; nec plus cuilibet Tu-
tioristæ Moderno, quàm Antiquioribus
Tutionistis concessum; quorum plures opi-
niones, five tutiores probabiliores, five mi-
nus tutæ moraliter certæ, à posterioribus
Doctoribus ad limam vocatæ, censurâ ali-
quâ, aut saltem falsitate notatæ sunt. Facti-
bile igitur est, ut aliqua talis in eâ Theolo-
giâ Morali reperibilis sit.

N. 123. At in isto: Qui possibile hoc sit? Nonne
regulam generalem dedit sequendi tutius
probabilis, aut minus tutum tunc tantum,
quando est moraliter certum? Nonne testa-
tus se viam veritatis elegisse præmissâ seriâ
meditatione in lege Domini die, ac nocte?
Nonne animum ab omni passione purgavit,
implorato sæpius Dei lumine pro ignorantia
exterminandâ? Quâ ergo ratione aliquam
docuit non approbabilem? Dicit, nec aliud,
me iudice, dicere potest, ejus opinionis la-
xitatem, aut falsitatem nequaquam oriri à
suâ regulâ generali, sed à malâ ejus applica-
tione: ita fit. At quomodo malè applicuit,
si oravit, si doluit, si studuit? Ergo cum to-
to hoc, adhuc homo reverâ pius, & doctus,
falli potest, nec lex Dei quoad remotissimas
à jure naturæ conclusiones semper est inve-
nibilis: ergo nulla in ejus regulâ culpa, sed
si qua est, est in Doctore: ergo nulla quo-
que in nostrâ regulâ generali, nec ulla in
Probabilistis locordia, aut nimix libertatis
amor, si aliquam aliquis eorum opinionem
non rectam docuit, nam cum quoque oras-
se, plorasse, & studuisse, piè credendum.

N. 124. Ait 4. confundi à nobis probabiliter judi-
care, & probabiliter agere, cum sint diver-
sa, & illud ad cognitionem, hoc ad actionem
spectet; ita non quia probabilis est obje-
ctum esse feram, licet in id jacere.

N. 125. Fateor ea duo esse toto cælo distincta, ut

sæpe dixi; sæpe enim una cognitio est specu-
lativa, & tunc impertinens ad praxim; ut pa-
tet exemplo allato; cognoscere enim, et si
probabilis, quod objectum sit fera, est spe-
culari. At probet Antonius, quod certò pro-
babiliter practicè judicare, & probabiliter
agere non sint ad rem.

Ait 5. confundi etiam probabile, & pru-
dens seorsim ab opposito, cum probabili
comparativè ad oppositum; potest enim quid
esse prudens, & probabile seorsim à moti-
vis oppositis, quibus tamen consideratis non
erit tale.

Sed contra, tum quia sibi contradicit, dum N.
docet, illicitum sequi minus tutam proba-
biliorem, si tutior sit probabilis, & prudens
peccati periculum: vel enim minus proba-
bilis manet probabilis, & prudens, ut sup-
ponit toto capite 21. 22. 23. 24. ubi impug-
nat usum minus tutæ probabilioris, stante
tutiori probabili; vel minus probabilis, et si
tutior, manet tantum probabilis secundum
quid? Si simpliciter manet probabilis; ergo
utraque contradictoria, et si una magis, alia
minus probabilis sit, comparativè sumpta,
est simpliciter probabilis, & prudens. Si non
est; ergo licet sequi minus tutam probabi-
liorem, et si tutior sit probabilis, & prudens
peccati periculum; tunc enim tutior est tan-
tum secundum quid prudens, & probabilis.
Tum quia ego ostendi, nullam prorsus esse
rationem intelligendi comparativa in sensu
contrario, non in proprio sensu, seu com-
parativo: non enim quia unus est minus do-
ctus, aut sapiens alio, ideo nec sapiens, nec
doctus; nec quia unum minus frigidum alio,
ideo non frigidum: ergo ex eo quod una
opinio sit probabilior, & prudentior, non
ideo opposita, quia minus probabilis, & mi-
nus prudens, nec probabilis, nec prudens
erit. Demum ostendi *disp. 13. sect. 6.* injuriam
inuri Theologis dicendo, quod probabile
pro probabiliori, & minus probabile pro non
probabili sumplerint.

Dices comparativa contraria intelligenda N.
contrariè, non autem comparativè; ergo
cum stemus inter opiniones oppositas, mi-
nus probabilis stat pro non probabili; & pro-
babilior stat pro probabili. Sed contra, tum
quia redit contradictio, supponendo tutio-
rem manere probabilem, stante minus tutâ
probabiliori: tum quia ab ipsis Contrariis
abstrahi potest una ratio cõmunis, & unum
participare plus, aliud minus ejusdem ra-
tionis: ex. gr. calor, & frigus contraria
sunt; & comparantur à Philosophis in ratio-
ne activi, & dicunt calorem esse magis, fri-
gus minus activum: status religiosus, & sæ-
cularis

cularis in pluribus opponuntur, quin Religionem ipsam, & comparantur quoad perfectionem, & una dicitur perfectior alia: ergo etsi opiniones plus, & minus probabiles sint inter se oppositae, ratio communis probabilitatis ab illis abstracta convenit illis, non contrarie, sed comparative, ita ut utraque sit simpliciter probabilis, etsi una plus, alia minus.

N. Ait 6. nostrum fundamentum esse sophisma equivocationibus plenum, & se magis timere libertatem, cui favet Probabilitatis laxitas, quam omnia Probabilistarum argumenta, quae sibi, sicut alijs multis, nec probabilia videntur. Concludit triplici textu: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus, qui sunt ejus; & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, Timot. 2. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, Psalm. 93. Domine ad te confingi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, Psalm. 142.*

N. 130. Ut ab his textibus ordiar, rogo Antonium, an ita eos sibi appropriet, ut nemo Probabilistarum sibi proprios facere possit. Si affirmat: avertat me Deus à doctrinâ, quae sub specie Divinae legis, & amoris tantum praesidentiae tribuit proprio judicio (quod tamen in homine nulla immoderatio passio) in rebus inter Catholicos incertis. Profecto mala, quae Dei Ecclesiam evertere tentarunt, peiora longè fuere, quae sub specie sanctitatis, quam laxitatis prodierunt; peiora quae intellectum, quam quae mores occuparunt. Testes mihi ex Antiquis, sunt Manichaei, qui Deum rerum malarum creatorem negarunt, ducti, eò quia summum Bonum nequit esse creator malorum. Testes ex Modernis, tum Jansenistae, quorum doctrina specie rigoris larvata impossibilem Divinae legis observantiam affirmat: tum Molinistae, quorum doctrina sub specie sanctitatis eò usque processit, ut quodlibet licitum assereret homini obscurae fidei innixo. Quae autem scelera ex utraque doctrinâ, cum plurimarum animarum exitio prodierint, nemo est, qui non ingemiscat. Non ergo doctrina, quae maiorem sanctitatis speciem, & Divinae legis observantiam, & libertatis, rerumque temporalium contemptum praefert, ita tenenda est, ut opposita damnanda sit; praesertim si à viris Catholicis pietate, & sapientiâ clarissimis in pretio habeatur. Cautè ergo ambulandum, nec omni Spiritui credendum; quin Pontificum monitis standum, quae vetant, ne opinio inter Catholicos classica malè excipiat.

Quod si Antonius dixerit, posse quoque Probabilistis eos textus applicari; cur non melius de illis, eorumque fundamentis opinetur? Cur interrogat, quotus inter Probabilistas sit, qui certa scelera vitet? Cur ait, se magis libertatem Probabilissimi timere, quam rationes, cum ea libertas damnabilis non sit, immò ab Ecclesiâ permittatur? Cur à probabilitate laxitatem oriri autumat, cum ea quoque à Probabilioritate, & morali certitudine, immò à summo rigore oriri possit, ut constat Jansenistis, qui à nimio veri amore ducti, nullum falsum à peccato exulare somniant; immò cum saepe veritas logica impossibilis sit, legis Dei observantiam intulerunt impossibilem; quo nil peius, nec in Deum, quasi impossibilia juberet, & ob hæc homines damnaret; nec in homines, quasi damnarentur ob peccatum, cujus omisio, est impossibile.

Pace igitur docti, & pii Adversarii, nec non M. Luccionij in sua *Veritate Morali*, 122. Mediolani impressâ, cui benignâ interpretatione favere volo, supponendo quidquid Chalcid. Luccion. scommatatum effudit, omnia in solum Probabilissimum laxum effusa, quod proculdubio omni conatu reprobandum est; ut nos reprobavimus, tuentes non nisi absolute, & relative ad opposita fundamenta opinionem certò probabilem licere, ubi res est de statu morali, non de physico rei: pace, inquam, & bonâ utriusque veniâ, detur meliora sententia de solidis Probabilistis. Catholici sunt, eorumque non pauci, sapientiâ, & virtute celeberrimi. Salvare volunt, & salvare ambunt. Nec certam legem, nec veritatem respuunt, qui utrique fideliter obsequuntur. At ubi Deus, post serium pro rei dignitate examen, voluit utramque incertam, illi quoque pro incertâ habent, non obligando ad illam, ac si foret certa, illam tamen consulunt; non confundentes legem cum consilio; nec incerto timore conscientiam torquentes ob eam incertam legem neglectam, ac si certa lex neglecta foret. Effugit Isaia cap. 24. est, *In doctrinis glorificavit nomen Dominum*. Glorificent Adversarii Deum in suâ doctrinâ; at rati habeant, quod Deum nos quoque in nostrâ glorificemus. Aptissimè Augustinus Epist. 117. cap. 3. de Zachario, ne excipiente, & Centurione excusante se, ne Christus D. suam ingrederetur, scripsit, quod *utrumque diverso, & quasi contraria modo Christum D. glorificabant*. Sint Anti-Probabilistae Centuriones, & utriusque legis de tutiori, aut probabiliori semper sequendo assertores: sint Probabilistae Zachari, tutiora pusilli, consulendo tanquam melius, tutiori,

tiori, & probabiliori adhaerere; negando tamen eas esse leges, contrario incedent modo; at utrique ad Deum accedenti Si hæc factis non sint, repetam quod disp. 22. n. 20. de di ex Divo Hieronymo monitum lib. 1. contra Rufinum: Contendebatur, an qui dupplicem ante Baptismum uxorem duxerat, posset sine culpa Sacris Ordinibus initiari? Affirmabat Hieronymus; negabat Rufinus, exprobrando ei laxitatem in opinando. Respondit Hieronymus: *Brevi sermone respondebo: habent libellum, quem in crimine vocant; ille respondeat, & scripto scriptis arguat. Quid auspicatæ frontis, & contrallis, rugatisque naribus, concava verba trutinantur, & sanctitatem apud vulgus ignobile simulacrum ore mentitur?* Hæc dicimus, non quod ipsi propo-

Christo hæc questione teneantur, sed interrogati à Fratribus, quid nobis videretur, respondimus: nulli præjudicantes sequi, quod velit, nec alterius Decretum nostræ sententiæ subvertentes, neque enim ambimus Sacerdotium, qui latemus in cellulis. Hæc maximus Doctor. Adde pro coronide: Sciant quotquot solidum Probabilissimum, qualem nos defendimus, de animarum ruinâ reum autumant: sciant, inquam, quod qui damnantur, non damnantur ob incertarum, sed ob certarum legum transgressionem. Pareant Fideles certis Dei, & Ecclesiæ legibus; à quibus Probabilissimus non excusat; nulla tunc animarum perditio; multiplex verò, si ipsidem legibus certis, aliæ inter classici Doctores incertæ, tamquam certe superaddantur.

DISPUTATIO XXX.

Digressio moralis de Sacramento Pœnitentiæ, ad mentem Urbani VIII. Clementis X. & Innocentij XII.

PROOEMIUM.

SUMMARIUM.

An hodie difficultus sit absolvi, an absolventi. In Idiotæ facile absolunt, ibid. Scopus Disputationis, n. 2.

- N. 1.  GNORO, mi Benivole Lector, quodnam hodie difficultus sit, an absolvi, an absolvente; an esse Pœnitentem, an Confessarium. Hoc scio, quod Pœnitentem esse, necessarium est; Confessarium esse, liberum est. Cum tota tamen ea necessitate, & hæc libertate, eò calamitatis devenerum, ut quilibet, cujus tota doctrinæ suppellex, superficialis, linguâ vulgari, summa est, (quæ utinam sæpe intelligeretur) eo ausu omnia per fas, & nefas absolvit, ignoratis penitus tum multipliciter damnatarum, tum recentium Pontificiorum Decretorum inviolabili jure, tum reservatis Sedi Apostolicæ casibus, tum, quæ sibi insit, aut non insit, absolventi facultate, tum interpretationibus, habitis inter Doctores antiquos ut satis probabilibus, hodie tamen à Pontificibus explosis. Quare ex tot moralibus opinionibus, quæ conscientiam concutunt, præcipuam circa Pœnitentiæ Sacramentum eligere decrevi, nempe, quid hodie, post
- Tom. III.

Clementis X. & Innocentij XII. Decreta possit Confessor sive secularis, sive Regularis circa seculares; & quid uterque circa Regulares. Rursus quid vi Cruciatæ, cujus privilegia aliqui tantum extollunt, ut nullo habito ad Archiepiscopos, & Episcopos respectu, quilibet Confessor se supra illos statuat, delusa omni Diocesanorum, cujus in loco, & tempore absolunt, jurisdictione: quin post habitâ evidenti Pontificum è Cathedrâ definitivum definitione. Quia verò Clementis X. & Innocentij XII. Decreta supponunt Urbani VIII. Decretum, hoc prius ponendum.

SECTIO I.

Modernorum Pontificum Bullæ.

§. I.

Bullæ Urbani Octavi.

SUMMARIUM.

Urbani VIII. Bulla, n. 3. Ejus Bullæ scopus, n. 4. Declarat, quod Clemens VIII. reprobarit opinionem timentem satis quemlibet approbatum, ut quis vi Cruciatæ absolvat, n. 5.

Pp

Hos